Michel ... A
Romans 1&2.

VIRO SUMME VENERABILI

IOANNI FRIEDERICO PETERSEN

AD AEDEM CATHEDRALEM PASTORI
ANNIS MERITISQUE GRAVI

SACRI MUNERIS EADEM IN PAROCHIA BENE GESTI

SEMISAECULARIA

DIE XVIII AUGUSTI MDCCCXXXV

CELEBRANTI

CONGRATULANTUR

R. MINISTERII LUBECENSIS SODALES

INTERPRETE

ALEXANDRO MICHELSEN
AD AEDEM St. JACOBI ARCHIDIACONO.

INEST

DE PAULI AD ROMANOS EPISTOLAE DUOBUS PRIMIS CAPITIBUS COMMENTATIO.

LUBECAE
TYPIS BORCHERSIANIS.

Hic rari apud nos exempli dies non TIBI modo, Vir plurimum reverende, TUISque, verum optimo cuique hujus reipublicae civi laetissimus illuxit. Piis enim in Deum sensibus TUIque grato amore perfusi plurimi TE hodie circumstant, cujus „nec tarda senectus debilitat vires animi mutatque vigorem.“ Nos vero, quibus TEcum „praeclarum illud opus“ contigit, ut salutiferi evangelii segetem spargeremus, civesque ad veram atque perpetuam libertatem adduceremus, gaudium hujus diei vere nostrum existimamus. Atque adeo nobis gratulamur de his sacri muneris decem lustris antiqua fide fructuque uberrimo apud nos transactis. Exstant enim conspicua multa pii et indefessi laboris TUI monumenta, longe vero plures laetioresque fructus in cordum passim domorumque penetralibus delitescunt, et Deo cogniti et in perpetuum mansuri. Est igitur profecto, quod TEcum hodie gratias Domino in ipsa illa aede agamus, quam per tot rerum vices mascula TUA et canora vox, Christi Soteris testis, personuit. Nec vero non Illum oremus, ut cum communia studia nostra Ipsi dicata porro juvet, tum TIBI, venerande senex, in seros annos vegetam mentem viresque multorum bono conservet.

Quod reliquum est, rogo, ut libellum, quem TIBI offero, bona cum venia excipere ne graveris. Vale.

A. M.

De ea Pauli epistola commentari placuit, quam si quis probe intelligat, inquit Calvinus, aditum sibi quendam patefactum habet ad totius scripturae intelligentiam. Suo igitur jure, post instauratam maxime rem christianam, tot inter nos illustrium ingeniorum studia in se convertit. Quid? literae theologicae quas formas temporum decursu et varietate humanae indolis induerint, in dispari facie illorum commentariorum expressum comparet. Quos sua quemque laude commendabiles quis sine fructu legat, consulat, inter se comparet? At videndum est, ne perlustrandis ejus generis thesauris a fonte ipsius verbi divini abstrahamur, neve interpretum usu et obsequio vel optimorum occupati, tum judicii libertatem deponamus, tum officio pro virili quaerendi verum supersedeamus. Neque enim minus eorum segnities culpanda est, qui tantorum virorum judiciis obstinate acquiescunt, quam quorundam temeritas nihil nisi nova probantium atque adeo τά λόγια τοῦ ϑεοῦ huc illuc torquentium. Quare non verebor, hac occasione scribendi oblata, modeste, at libere proferre, si quid de exordio epistolae ad Romanos datae praeter communem fere omnium interpretum opinionem se mihi probavit. Ac nescio, an plurimorum studiis ad capita epistolae praecipua et maxime necessaria properantibus factum sit, ut in vestibulo sacratissimi adyti residerent quaedam vel hebetioribus oculis reperienda. Sed enim quum nulla scripturae pars non conferat ad integram veritatem, tum illo prooemio, quale haberi solet, stamina quasi totius texturae epistolicae duci videntur. Atque hoc quidem in

locum illum notissimum, de quo acturi sumus, cap. II. vv. 14. 15. 16, praecipue cadit. Is enim secundum vulgarem interpretationem interserta hac illave sententia contextui quodammodo adaptatur, et ad summum finem epistolae trahitur, sed ita ut semper aliquid hiet vel otiosum videatur. Meo autem judicio talis est, ut ad illud proxime tendat idque egregie efficiat, quod praecipue vult apostolus. Priusquam igitur ad textum ineuntis epistolae accedamus, praefari nonnulla liceat de eo, quod Paulo erat propositum, nec vero non obiter monere de ea, qua utitur, forma scriptionis.

Est enim vere ac proprie epistola habenda, liberiori ordine eoque ad rem et affectus apto fluens, nec vero institutio methodica vel κατήχησις aliqua epistolicis insuper formulis ornata. Quin per omnes ejus partes una et ea quasi viva significatio pertinet tum personae, quam agebat scriptor (modo sic loqui de sancto illo pectore liceat), tum eorum ingeniorum, quae cum maxime indigerent aeternae veritatis remedio. Nimirum iis se primo exhibet suaque communicat, qui nec ipsum, nec doctrinam huic apostolo praecipue traditam (τὸ εὐαγγέλιόν μου frequenter dicit) cognoverant. Id autem magni referebat. Ex divino enim consilio ad eos ipsos pertinebat munus Paulo delegatum (ad Rom. I. 6. 10—15. XV. 15. 16, al.) Impense igitur Apostolus ὁ εἰς τὰ ἔθνη (omnes praeter unam domi Judaicam gentes) ad magnae illius urbis, quae quasi totum orbem spectaret, incolas muneris sui fructum, si non ore, saltem scripto propagare studebat. Atque erant quidem illi, ad quos data est epistola, viam salutis pridem edocti, sic tamen ut, quod per Judaeos aliquos recens Christianos inchoatum videtur, apostolicam operam et velut manum ultimam requireret. Quanquam fatente ipso Paulo simplicia fidei semina non carebant suo ad illustrandos et renovandos per Christum animos fructu (1, 8. 15, 14. 15). Neque igitur hoc agit, ut quasi agrum plane incultum prima segete evangelii exerceat. Imbuti omnino erant sano evangelio et Christo vere insiti. Hinc est, quod ipso principio epistolae (1, 1—6.) summam evangelii, sed eam nonnisi expertis ac probe initiatis apertam, obiter commemorat (ὡς ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς XV, 15. cf. maxime IV, 25. 26). Nulla enim animis dubitatio inhaerebat de vaticiniis Dei ac promissis in Christo eventum habentibus, de illo pro peccatis

nostris expiandis mortuo, tum e mortuis suscitato et deinceps, ut ait, solenniter constituto (hoc enim est Graecum ὁρισθέντος I, 4) tanquam filio Dei atque κυρίῳ ἡμῶν. Neque ii amplius tanquam rudes a principio erant docendi, ad fructum salutis per illum paratae ipsis opus esse tum vera μετανοίᾳ, tum praecipue fide in Christo impunitatis atque novae vitae auctore ponenda. Id ni sincero puroque pectore approbarent, indigni certe erant, qui simplici apostoli testimonio τοῖς κλητοῖς ἁγίοις, ἀγαπητοῖς θεοῦ accenserentur (I, 7). Maneat igitur, ne in hac quidem prolixiori epistola integram evangelii demonstrationem via ac ratione pertextam tibi quaerendam esse, id quod meminisse opus erit in eo quoque loco, de quo mox agetur. Omnino enim, quod de epistola ad Hebraeos illa diserte affirmat auctor, de hac quoque epistola (denique, de N. T. omnibus) verum est, omissis elementis, h. e. gravissimis ac maxime necessariis illis fundamentis evangelii, eam ad consummationem doctrinae ferri ac cibi solidioris instar provectioribus praeberi (Hebr. V, 11. VI, 1—2). Ad quae incrementa fidei quum aliis alio auxilio, pro diversitate sive profectuum sive impedimentorum, opus fuerit, tam multiplex color harum epistolarum est, tamque uber ad plenum evangelii intellectum fructus in perpetuum inde redundabit. Eo autem magis necesse erit in palmari hac ad Romanos epistola bene advertere, quid illud fuerit, quod eos pro temporum ratione praecipue monere iisque ita ob oculos ponere statuerit, ut id omni tempore christianorum fidem vel maxime juvaret. Jam igitur veniam petimus nonnulla, quae fere indubitata imprimis ad rem nostram faciant, breviter adumbraturi.

Primos Romae Judaeos nonnullos fidem evangelio habuisse, nemini, qui aetatis illius imaginem in Actis Apostolorum depictam noverit, dubium erit. Nostra autem epistola manifestum facit, mox alienigenarum (τῶν ἐθνῶν) satis magnum numerum Christo se addixisse. Jam igitur duo genera hominum admodum diversa eodem obsequio fidei et rerum coelestium studio in unam societatem coaluerunt. At difficili negotio, quae natura et consuetudine sibi repugnant, in unum colliguntur. Lex enim coelitus olim sancita, hoc est, ipsius Dei decreta de populo peculiariter suo sibi per omnia consecrando, quasi sepes et murus aheneus usque illo stabat inter unam gentem veri numinis cultricem et

innumeras gentes sive rudes sive cultiores ad vanum et impurum idolorum cultum projectas. Ab ipso usu ethnicorum crebriori cautum Judaeis erat, ne foedae superstitionis et nequitiae contagio afficerentur.

At vide, ne hinc temere in animum inducas, quod multi faciunt, Israelitam, etiam si quis legis ac prophetarum genuinum sensum imbibisset (quod certe de Israelita Christum cruci adfixum agnoscente concedes), tam aspero ingenio fuisse, ut gentes totius orbis terrarum execrandas et ab omni spe salutis amovendas opinaretur. Quo crimine nihil vanius est. Neque eum credes serio dubitasse, adeo ut multis argumentis ex instituto demum probandum esset, alienigenis quoque mentem esse recti malive natura sibi consciam, eos quoque „nocte dieque suum gestare in pectore testem", apud eos etiam exstare exempla continentiae, beneficentiae, caritatis, denique humanitatis, in iis quoque rationem inesse coelesti veritati agnoscendae idoneam. Quod nisi sponte ne tum quidem sentirent, quum quotidiana consuetudine omnis generis hominum utebantur, ipsae sacrae literae et historiae ejus rei passim fidem faciebant. Sed nihil ejus dubitationis erat. Quid? quod nullo unquam aevo Judaei recusarunt, quin e gentibus, quiqui vellent, abdicata superstitione et assumto ritu legis et officio, jurum omnium ac beneficiorum cum populo Dei adoptivo participes fierent. Nam in hoc quidem, quod ei generi proselytorum, quod a porta templi cognomen duxerat, aliquid profani adhaerere visum est, nihil nisi Israeliticae religionis ad certam normam adstrictae comparet ratio. Atque veritatem Dei gratiamque, quippe quam per Abrahamum ad omnes gentes propagandam ex oraculorum voce omnes scirent, jamjam evangelio Jesu Christi revera ad alienigenas redundare, Israelitis, quicunque illud ipsi amplexi essent, offensioni adeo non erat, ut ea re memorabili nomen Israelis, „odium orbis terrarum," quam maxime concelebrari jure gauderent. (Luc. II, 32. Joan. IV, 22. Act. XI. 18.) Sed ut ea res nihil per se invidiae haberet, omnino tamen, quae hominum erat perversitas, haud levibus difficultatibus turbata fuit. Quae quidem ex falsa legis illius aestimatione nascebantur. Nam quod divinam ei auctoritatem Judaei asserebant, id quidem jure faciebant; neque in eo culpandi erant, quod omnia legis praecepta, sive ad mores componendos civiliaque instituta pertinerent,

sive ritus sacrorum et caeremonias spectarent, pariter sibi colenda et eodem loco habenda esse arbitrabantur. Temerarium enim ac difficile videbatur, ea, quae divino instituto et assidua observatione unum quiddam et totum efficerent, pro arbitrio divellere. Itaque legi ritibusque certo praescriptis apud eos, qui ab originibus rei christianae ex Judaeis Christo se addicerent, suum honorem mansisse videmus. Neque in eo Jesu doctrinam vel exemplum, neque apostolorum quemquam (ne Paulum quidem) sibi repugnantes habebant. Ille enim non magis de sacrorum forma quam de partibus vitae exterioribus quidquam novi praescribere voluit, sui spiritus ductui atque adeo temporibus coelitus regendis de omni conformatione vitae cultusque consentanei certo confisus. Nihil igitur prohibebat, quominus οἱ ἐκ περιτομῆς Christiani cum fide in Christo prorsus defigenda et pectoris per eam defaecandi studio interim jungerent prisca illa vel involucra pietatis vel adminicula. Verum enimvero maxime atque unice hoc intererat, quo id animo fieret. Nihil enim ea in re nisi illud quaerebatur, qua quisque via peccatorum veniam se impetraturum esse Deoque probatum iri confideret. Quod si quis suorum legitime factorum fiducia ac praeceptis morum servandis nitens ad promissam Abrahae a Deo beatitatem adspiraret, is repudiato Christo Sotere ac fide parvi pensa salutem sibi suoque merito acceptam ferebat. Neque is ipsam legem per Mosen sancitam recte aestimasse suumque ei honorem tribuisse putandus est. Quid? sive Judaeus adhuc ex pristino instituto esset, sive Christo nomen dedisset, de legali sua disciplina sibimet ipse pugnabat, ut non posset magis. Quid enim repetita illa et continuata sacrificia atque crebrae lustrationes clamabant aliud, quam vanam esse omnem hominis de suis operibus meritisque confidentiam, atque a sola Dei gratia pro eo modo atque ordine, quo ipse sibi homines reconciliari vellet, submisse et suppliciter impunitatem esse impetrandam? Lex enim maxime ipsa diras unicuique denunciando, qui non omnibus jussis divinis integre et ex animo satisfecerit, eum tantum salutem suo sibi jure posse vindicare praedicat, si quis se nunquam ab iis discessisse, ne appetendo quidem, sibi sit conscius (cf. Levit. XVIII, 5; item Christi verba de *faciendo* sciscitanti cuidam plane idem respondentis). Quibus auditis Dei oraculis in

perpetuum ratis, quisquis suo merito ad salutem adspirat, ab omni sui cognitione ita est aversus, ut pro vesano fere habendus sit. Sacris vero et expiationibus Deo acceptis, in quibus omnia sint unius Dei, ac nullum nostrum supplicantium meritum, tamen gloriari velle, eaque operum (ἔργων) nomine Deo quasi expensa ferre, nimium quantum absurditatis habet. Et est haec quidem illa ἰδία δικαιοσύνη (s. ἡ ἐκ νόμου δ.), in quam gravissime invehuntur apostoli, non quo nunc demum patefacto evangelio irrita facta sit, eo vero usque pro temporum ratione et secundum legalem disciplinam proba et consentanea fuerit; sed quae talis sit, ut ab omni inde tempore inanis fuisse et a veritate abhorruisse censeatur. Quanquam hoc verum est, ab evangelio hanc nostri nostrorumque operum fiduciam adeo abhorrere, ut ne specie quidem aliqua se commendet. Legalis enim disciplina, quamvis et ipsa niteretur fide promissis Dei foederique habenda, et ad eorum eventum tota referretur, facienda interim permulta sigillatim praescripsit, cavens, ne factis peccarent homines, utque obsequio adsuefierent. Praeterea, modo certa spe ad futura tenderent, sacra faciendo praeformata veritate ipsa et salute Christi quodammodo fruebantur. At certe periculum erat, ne ipsis in operibus sibi placerent adeoque de fide detraherent. Evangelium vero praecipuum hoc atque perpetuum habet, quod justitiam, quae Deo probetur, nonnisi ex fide proficisci inculcat, testibus ejus rei adhibitis lege ipsa et prophetis (Rom. III, 21. 22. cfr. Actor. X, 43). Unicam enim Christus Deo placendi rationem in medio posuit, quae est fides ipsi habenda. Neque ea hujus illiusve apostoli doctrina fuit, sed communis omnium. Erat enim haec ideo evangelica, hoc est, laetabilis doctrina, quod hominum de salute sua sollicitorum ac satagentium mentes solius fidei lege, Christo habendae, ad certam spem beatitatis erigebat. Numquid hoc erat legem abrogasse? Immo constabat etiam tum sua huic instituto ratio, quae vel submittendis Deo animis, vel desiderio salutis imbuendis, vel ad pietatem leniter excitandis, vel denique adumbranda Christi gratia jam praesenti contineretur. Alteram vero in partem abrogari et irrita fieri omnino videri poterat. (Rom. X, 4. Act. XIII, 39.) Nihil enim magis pervulgatum erat falsa ista aestimatione legis, quippe qua operose servanda se Deo reconciliari ac salutis compotes certo fieri jactarent. Eo autem nihil valere legem,

ac si quis eum ad finem legitimae vitae studium dirigeret, hunc favore Dei, quem quaereret, excidere clamabat vox evangelii. Itaque si quis Christo nomen professus etiam tum legis observatione suoque robore tacite gloriaretur, is a Christo desciverat (Gal. V, 4. II, 21). Jam quis non videt, apud eos, qui olim Mose unico institutorum Dei interprete usi erant, post gratiam agnitam facillime accidisse, ut confidentiae istius, fidem omnino arrodentis, aliquid resideret vel etiam rediret? Quare corruere sensim ac dissolvi prisca illa instituta, educandi modo causa in tempus sancita, omnino necesse erat, quo sanitas vitae interiori semine natae atque libertas effloresceret. Et Paulum quidem, pro singulari, quam a Domino acceperat, decretorum coelestium intelligentia, etsi abrogatae palam et contemtae legis falso insimularetur (Actor. XXI, 21. 24), etiam popularium peregre habiantium subinde onera legalia prudenter levasse iisque liberalioris vitae auctorem exstitisse, credibile est.

Magna enim rei christianae, praesertim apud reliquas gentes instituendae, calamitas imminebat. Scimus enim, si non initio, at mox tamen exstitisse, qui ζηλωταὶ τοῦ νόμου exteros quoque circumcidi juberent adeoque officiis judaicae vitae omnibus obstringi, quo fidei eorum evangelicae suppleretur. Quae quidem opinio neque Judaeos ipsos neque alienigenas absque ipsius veritatis detrimento poterat occupare. Itaque ipsos principes illos muneris apostolici, quamvis legis adhuc cultores assiduos et sinceros, isti errori strenue se opposuisse videmus (Actor. XV, maxime vv. 10. 11. 19. 28; cfr. XI, 17). At vero Pauli, magni gentilium ecclesiarum columinis, prae caeteris intererat, probum de legis vi et auctoritate judicium ubique terrarum ferri. Is enim discidii per omnem terrarum orbem male gliscentis fructus ipse conspiciebat. Nam ea de re Judaeis et gentilibus in unum coetum junctis non facile convenisse res ipsa docet. Nimirum Apostolus ille cunctis gentibus per solam fidem ad Christi gratiam aditum aperuit, ita ut gentilicia ista legis de cultu et omni victu praescripta ad reliquas gentes nihil pertinere traderet, nisi quod unam de amore Dei hominumque legem per fidem in cordibus insculptam iis commendaret, ab omnique offensione caveret secundum decretum illud apostolorum sapientissimum (Act. IV, 29). At Judaeis ea liberalitas atque moderatio fere non suffecit.

Itaque saepe factum est, ut, quicunque eorum institutis Mosaicis obstinatius insistebant, caeteros judicarent divinae legis contemtores, quod contra haud pauci eorum, qui rejecto isto servitio liberalius vitae institutum sequerentur, illorum simplicitatem et superstitionem illuderent.

Quae dissensio tam fidei quam amori perniciosa in Romanam quoque ecclesiam serpsit. Quanquam ibi falsa illa legis et sacrorum aestimatio intra judaicarum partium, quae hujus coetus christiani originem sibi tribuerent, fines substitisse videtur. Nulla enim ejus morositatis vel arrogantiae in gentilibus vestigia notantur, ita ut apud Romanos judaica superstitio multo minus tunc evaluisse videatur, quam in Galatis illis, non judaeis, sed gentilibus, factum est, quos Paulus fascinatos (III, 1) non multum a jactura salutis ac fidei naufragio abfuisse conquereretur. At eo longius Romae a se invicem distabant binae illae partes atque intemperie utrimque delinquebant. Huic labi, quae non poterat non in dies ingravescere, Paulus penitus mederi sui muneris ducebat. Verum ea res non erat disciplinae et quasi exterioris curae, sed tota ex penitiori evangelii consiliorumque divinorum notitia pendebat. Proderat enim, vel oraculorum, quibus nitebantur Judaei, vel legis, vel sacrorum, vel operis a Christo perfecti, vel fidei, vel denique obsequii alacrioris sensum genuinum exhibere, quo res componerentur. Itaque in iis omnibus, quas ad ecclesias scripsit, epistolis (exceptis vix illis ad Corinthios datis) magnam illam causam jungendorum per fidem hominum diversi generis sic attigit, ut modo unum, modo alterum ex illo genere locum illustraret. Ad Romanos autem pro eo statu rerum, quem delineavimus, rem ita perscribit, ut cardinem totius causae constituat.

Carne enim, ut brevi concludamus, h. e. iis, quae ab ipso ortu bona nacti essent, Judaei gloriabantur suaeque progeniei scilicet propriam Dei gratiam jactabant. Hujus autem gentilicii nominis et juris, ut ait Tertullianus, signaculum erat circumcisio. Nec vero non annexam ei legem cum omni sacrorum apparatu ostentabant, ceu vitae formam distinguendae huic genti a reliquis in perpetuum positam. Haec enim videbantur luculenta favoris divini pignora. Quare quisquis e gentibus Deo se probari cuperet, nunc maxime, patefacto Messia, huic genti Abrahami nomine sacratissimae eum inseri, ejusque ipsius rei obsignandae gratia

tum circumcidi carne, tum popularibus omnibus institutis initiari volebant. Quam enim quasi domesticam salutem sibique tam pacto quam ipsorum merito propriam censerent, eam cum peregrinis hac modo lege tanquam de suo communicabant, ut ii ab ipsis antea se adoptari et intra legitima civitatis Dei septa includi sinerent. Neque suis scilicet commentis nitebantur, sed mandato et praescripto ipsius Dei. Qui beneficiorum immortalium atque adeo praesentiae suae haec ipse pignora esse voluerat. Habere igitur Judaeos utique, cur supra praeputiatos sese eveherent, et praerogativa sua gloriarentur. Huc maxime Paulus veritatis aciem dirigit et circa hanc causam tota ejus disputatio versatur. Atque illa quidem de genere sic se omnino habere Apostolus, ut qui nec ipse magni nominis Israelitici atque institutorum Dei fuerit immemor, ingenue fatetur. At vero his ipsis positis evangelii causam praeclare constituit.

Thesi enim magna illa proposita, vel potius iterata ipsius evangelii (cap. III. extr.), *τὸν νόμον* (h. l. totam constitutionem pristinae religionis) a se non aboleri diserte professus (v. 31), sed stabiliri, in hunc fere modum argumentatur. Sane quidem nitendum et insistendum ait illo *promisso* Dei in Abrahamum collato, sed eo ipso salutis causam (gentibus omnibus per Abr. promissae) a nullo merito nec a stirpe pendere, sed a mera *promittentis* gratia et voluntate. Deinde illud quoque manere, neminem nisi qui sit *Abrahami filius*, probari Deo posse; sed si quis circumcisus fuerit, eundem non continuo Abrahamo patre gaudere, sed qui fidei Abrahae vestigiis insistat; illum enim ipsum, quod justus coram Deo fuerit, non aliunde fuisse, nisi ex fide, atque ipsam circumcisionem nonnisi justitiae, quae per *fidem* integra esset, obsignandae causa insuper accessisse. (Neque vero hanc *circumcisionem* non exigi a Deo, immo nullam sine ea justitiam esse, modo illa non specie, sed vi et veritate fiat, attestantibus uno ore Mose ac prophetis, nimirum ut corda intus circumcidantur divini spiritus potentia. vid. II, 25 sqq.) Tum *Legem*, quam domi habeant, omnino veram, sanctam, spiritalem esse, sed eo ipso nihil huic cum *carne*, h. e. natalibus *naturaque* a Deo et lege aversa, negotii esse; quin eam irritam fieri, ubi sub externo cultu *animus* vetitis inhiet; ratam vero fieri, ubi intimo pectori (*τῷ νοΐ*) inhabitet; proinde legis eam modo in perpetuum vim esse, non ut cuiquam

gloriandi materiam praebeat, immo ut unumquemque reum coram Deo agat et omni sui fiducia exutum ad servatorem propellat. *Justitiam* autem, cujus Deo judice ratio constet, quum legis operumque studio frustra quaeratur, jam ab ipso Deo exhiberi, eamque credenti cuivis impertiendam; in illa autem *fidei justitia* vere inesse, quicquid lex impotentior nonnisi ostendat (cfr. IX, 4. 5): et compositam cum Deo *pacem* (εἰρήνην, διαθήκην, προςαγωγὴν, καταλλαγήν), et veram Dei *adoptionem* (υἱοθεσίαν), et *supremae voluntatis* (νομοθεσίας) confirmationem, et *spiritus* in carnem omneque genus pravitatis imperium, et novae vitae alacre *obsequium* (λατρείαν), et *promissorum* (ἐπαγγελιῶν) veritatem, et *cum ipsis patribus per Christum* (πατρῶν καὶ χριστοῦ) communionem (cf. IV, 12. IX, 6-8), et vero spem *beatitatis* (immo δόξης) per ipsas aerumnas in aeternum illustrandae. Praeterea *sacra* et *cultum* utique Deo tota vita praestanda esse, sed tum demum vere ac plene exhiberi, quum non externa specie, sed ex animo Deo τῷ τὰ κρυπτὰ κρίνοντι serviamus (λατρεύειν, voce proprie sacra), neque sacrificiis istis emortuis in templo peragendis defungamur, sed ubique locorum nosmet ipsos nostraque omnia Deo devoveamus, neque fratrum juvandorum studio quasi operari cessemus. Quod quicunque per fidem Christo habitam vere perficiat, eum demum legi a Deo sancitae satisfacere. Deniqne nihil aliud agere Deum, nisi ut *Israëlem*, h. e. populum sibi uni consecratum, in terris constituat; sed perinde ut ejus principem illum et quasi antesignanum *non circumcisum adeoque gentilem* propter solam fidem pro justo atque suo assumserit, jam demum ex qualibet gente fidei praeconio verum et genuinum Israelem colligi; illos enim, qui Abrahamum *carne* patrem jactaverint, ne fuisse quidem Israelem, (IX, 6—8) ut qui non externo signo vel opere, sed spiritu divino et abditis fidei sensibus, denique gratiae adoptione censeatur. Dum autem Judaeorum maxima pars Dei gratiam immerentibus sola fidei lege oblatam contemnit, alienigenae vero undique ad Christum se vertunt, apostoli animo suorum communem fere sortem lugentis obversabatur *nova de omnibus gentibus progenies Abrahami*, gens Deo per spiritum vere sacrata, et legem ejus non in littera, sed in pectore inscriptam gerens. Et hic quidem scopus est totius epistolae, qui tamen a capite nono luculentius quoque fere versu se prodat. — Pulchre haec gentilium

in populum Dei receptio descripta exstat in illo ad Ephesios loco II, 19. 20. Ἄρα οὖν οὐκέτι ἐστὲ ξένοι καὶ πάροικοι, ἀλλὰ συμπολῖται τῶν ἁγίων καὶ οἰκεῖοι τοῦ θεοῦ, ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν (nimirum priscorum), κ. τ. λ. v. 22: εἰς κατοικητήριον τοῦ θεοῦ (vice sacratissimi illius unius adyti) ἐν πνεύματι. In hunc oleastrum sacrae radici insitum, qui ramorum pristinae culturae defractorum locum teneat (XI, 17), animi oculos continuo defixos habet. Atque adeo Judaeos, nimirum suos, alloquens, utpote qui vinculis umbratilis legis impediti magis minusve haererent, ad *gentilem* illam fidei suo robore vigentis sanitatem ubique mentem et orationem flectit.*) Quanquam, quod de genere dicit, non continuo de omnibus et singulis intelligendum ait; suo enim ipsius exemplo nec non complurum aliorum apparere, universae gentis λεῖμμα quoddam servari (XI, 5; adde XII, 23—fin.) Eo magis sub finem epistolae utrosque hortatur, ut, sive Judaei genere sive de gentibus sint, sive legis disciplinam arctiorem, sive liberaliorem vitae cultum sequantur, sive denique confirmati jam fide, sive imbecilliores rudioresque sint, omnes secundum regium illud amoris mandatum sese invicem amplectantur et modeste sublevent, quippe qui per eundem Christum unius corporis membra facti sint; tum ad idem omnino munus, et celebrandi uno spiritu Deum, et animos emendandi, et cum hostibus veritatis et magistratibus bene agendi, utrosque esse vocatos. (XII, XIII, XIV, maxime 17—20, XV, 1—13, cfr. omnino vv. 5—9, compendium totius epistolae pressum). Postremo in ipsa epistolae clausula pariter ut initio (I, 5) se ipsum Romanis exhibet, qualem Deus ipsum constituerit omnium perinde gentium

---

*) Paulum in hac epistola cum hominibus utriusque stirpis nonnisi illis agere, qui ad veram religionem jam accessissent, supra indicavimus. Cui rei minime id quidem pugnare h. l. monuerim, quod capp. IX, X et XI ex instituto de Judaeis evangelio diffidentibus loquitur. Hoc enim iccirco fit, quod οἱ ἐκ περιτομῆς, cum quibus rem habet, praerogativam divini favoris et operum de lege commendationem non sibi seorsim, sed universo illi populo Dei etiam tum quasi adnexam jactabant. Quid igitur magis ex re erat, quam nihili esse hanc cum *gentilicio* nomine et instituto communionem: istam enim gentem propter solam diffidentiam excidere regno coelesti. — Huc illud quoque facit, quod sub finem ep. P. legitimarum consuetudinum usum apud illos etiam residuum aperte infirmitatis nomine notat, adeoque omnes pristino discrimine sublato in eandem libertatem vindicare satagit. En vestigia legis non repente, sed leniter abrogandae.

apostolum εἰς ὑπακοὴν, non τοῦ νόμου, sed πίστεως, magna illa quidem sententia de novo veroque Israële colligendo per imaginem praeclaram exhibita. Ait enim, sese iis scribentem, qui fide jam proba imbuti essent, confidentius graviusque ipsos admonuisse eorum, quae fidei vel simplicissimae germine culto ipsi debebant intelligere. Fecisse autem se illud et facturum ob officium illustre sibi per Dei gratiam indigno delegatum. Suarum enim partium esse, ut tanquam antistes et sacerdos, Jesu Christi vices agens, (cfr. ib. 18; II. Cor. V, 20: ὑπὲρ χριστοῦ πρεσβεύομεν) cunctas gentes obeat; evangelium quasi sacrificans (vel potius illo ceu sacro thure, coram deo suaviter olente, et salutari omnibus odore orbem perfundens), qua velut sacra lustratione facta, in posterum cunctarum gentium alias profanarum toto orbe existat una sacrificatio, eaque Deo plane accepta, (quod de Judaeorum sacrificiis fide et pietate cassis toties negatur) atque consecrata quidem illa per ipsum spiritum sanctum,*) (XV, 15. 16) quo quidem adoptionis pignore gentes per evangelium Christi Deo intus dicantur. In hoc igitur exsultat magnus apostolus atque hoc praecipue illis ad Romanos „terrarum dominos“ literis praedicat, quod gentes toto terrarum orbe, tametsi a notitia Dei et cultu alienissimae, jam gloriae Dei celebrandae et illustrandae, (εἰς δόξαν θεοῦ XV, 6. 7.) auctore Christo et se administro, adeo existunt idoneae, ut ipsae in perpetuum futurae sint οἶκος πνευματικὸς (λίθοι ζῶντες), γένος ἐκλεκτὸν, βασίλειον ἱεράτευμα, ἔθνος ἅγιον, λαὸς εἰς περιποίησιν, ἀνενέγκαι πνευματικὰς θυσίας, εὐπροσδέκτους τῷ θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ.**)

---

*) Vehementer miror, hunc locum plane magnificum adeoque luculentum a quoquam interpretum, immo ab omnibus aliter exponi potuisse. Omnes autem (quod scio) ad unum in eo consentiunt, quod contra simplicitatem sermonis aeque ac hujus epistolae indolem τῶν ἐθνῶν genitivum, ut ajunt, objecti esse jubent, ita ut gentes sint ipsa victima Deo in sacrificium oblata. Sensus vv. supra indicatus cuique se probabit, hos locos accurate conferenti, quos exscribere et ad rem nostram adhibere hae angustiae non ferunt. Inspicias igitur nostrae ep. XII, 1, (adeoque 2 et 11. XIV, 7. 8; XV, 6. 7. Hebr. XIII, 15. 16.) Eph. II, 12—22. Phil. II, 17. Col. III, 16. II. Tim. II, 8. I. Petr. II, 5. Ies. LVI, 7. LX, 7. LXVI, 20—23. Mal. I, 11. Ps. LI. 19. 21. Sirac. XXXV, 1. 2; praeterea cfr. maxime Cor. II, 14. 15. 16. (Phil. IV, 18 Apoc. V, 8. VIII, 3.) Hagg. II, 6—9.

**) Id quod Petrus I, 2, 5 eadem mente, si non cunctis de gentibus, quae ad ejus curam non pertinerent (cf. I, 1.), certe de illa modo germani Israelis paucitate intelligit, quae non *carni* et

Jam vero accedamus ad ipsa duo prima ep. capita quam brevissime exponenda, deinceps vero ad locum illum novis curis perlustrandum, cap. II, v. 14 et qui sequuntur. Hanc enim totam εἰςαγωγὴν tum recte a nobis explicatam esse constabit, quum optime omnia cum principali causa totius epistolae consentient et expedito ordine fluent.

In ipso autem epistolae principio sensa mentis illa, in quibus apostolus totus erat, clarissime emicant. Neque adeo illa salutatio, qua velut pectus suum effudisse videtur, proprietate caret, quam similiter in reliquarum epistolarum inscriptione pro re nata expressam videmus.

Quod enim vel primo versu εὐαγγέλιον θεοῦ praeter morem dicit, sonat quiddam et magnificentius (II. C. 11, 7.) et quod latius quovis termino pateat. „Num Judaeorum Deus tantum? annon et gentium? certe et gentium," inquit Noster paulo post III, 29. Jam quale hoc evangelium (s. laeta ipsius vox Dei coelitus in terras demissa) fuerit, ad quod quidem perferendum ipse selectus sit, sequentes versus usque ad illud demum εἰς ὑπακοὴν πίστεως ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσι concise perscribunt; ita ut in solenni mentione γραφῶν ἁγίων certe de ejusmodi vaticiniis etiam cogitaverit, quale illud est Hagg. II, 7: ἥξει τα ἐκλεκτὰ πάντων τῶν ἐθνῶν, κ. τ. λ. Jes. IX, 2. 3. LX. LXV, 1. Zach. II, 11. VIII, 20-23 al. cfr. infra XV, 4—12. Pronomen autem ὃ, ut fit, ad illud ipsum refertur, quod in evangelio praedicatur. Omnino enim idem alibi τὸ μυστήριον τοῦ χριστοῦ vocat, quod pro singulari munere sibi patefaciendum coram omnibus sit, εἶναι τὰ ἔθνη συγκληρόνομα κ. σύσσωμα ἐν Ἰῷ Χριστῷ διὰ τοῦ εὐαγγελίου (Eph. III, 1—9. I, 10. Col. I, 25—28. Eph. VI, 19: τὸ μυστήριον τοῦ εὐαγγελίου). Jam περὶ τοῦ υἱοῦ, circa quem vaticinia omnia ipsumque evangelium versentur, ad verbum „ante promiserat" referenda arcteque praecedentibus jungenda sunt. Nam quae nunc addit, τοῦ γεν. κ. τ. λ. verum promissorum eventum exhibent. Is autem duabus partibus conspicitur, tum eo quod intra Judaicum populum versatus fuerit, vaticiniis omnibus ad suum finem perductis,

---

naturalibus cujuslibet generis dotibus (ib. I, 24. 25.) confidat, verum regenita sit, non ex semine nimirum Abrahae, perituro, sed coelesti et immortali novae vitae semine, verbo *evangelii.*

tum vero, quod e mortuis revocatus, deinceps ἐν δυνάμει, h. e. in majestate divina, constitutus sit Dei filius omniumque Dominus.*) Nemini dubium erit, modo epistolae indolem sapiat, quin duo haec momenta evangelii, κατὰ σάρκα et κατὰ πνεῦμα, h. l. per emphasin sibi opponantur, nec minus illud ἁγιωσύνης, divinae Christi naturae indicium, h. l. adjectum ad hoc ipsum vergat, quo unice tendit Ap. Denique attendas τὸν κύριον ἡμῶν, quippe a quo solo salus sit petenda, proxime referri ad *obsequium*, non legis, sed evangelii, per *fidem gentibus omnibus* praestandum (cfr. XV, 18. XVI, 19. 26. cf. II Cor. X, 5.) atque Christi solius nomen s. gloriam sic concelebrandam. Obiter autem moneo, *omnibus* gentibus etiam Judaicam contineri, (cf. πάντας ἀνθρώπους Act. XXII, 15.) neque Paulum ἐθνῶν fere nomen pro judaico loquendi usu adstringere, nisi si Judaeorum et *reliquarum* gentium distinctio textu orationis aperte innuitur. Qua de re infra dicetur.

Continuo vero τῆς πίστεως v. 8. elogium non frustra sic seorsim positum, deinde illud pondus verborum: ᾧ λατρεύω ἐν τῷ πνεύματί μου (non externo, sed interiori per novum spiritum cultu eoque perpetuo) totus „in evangelio filii Dei et nuntiando et sequendo,“ sufficiat indicasse. Quid? quod nihil aliud desiderat, nisi ut „donum quoddam spiritale“ illis impertiatur, omnino eam, qua et illi maxime indigebant, et Paulus prae caeteris pollebat, sapientiam a specie rerum et umbra aversam et totam *in spiritu* coelestis vitae *fide*que defixam intelligit. Quo magis opus esse ducebat, ut modestam et vere divinam illam amoris vocem v. 12 adderet.

Jam vero apostolus per ea, quae de suis rebus et effuso in Romanos animo effert, nulla arte, sed sponte sensimque in mediam causam delabitur. Neque enim muneris sui fructum offerre iis potest, quin continuo arcem evangelii sibi concrediti aperiat (cf. 1. Cor. IX, 16. 17). Illud enim tam late patere ait,

---

*) Ἐν δυνάμει quod hoc loco de majestate coelesti, quae τῇ ἀσθενείᾳ II Cor. XIII, 4. τῇ κατὰ σάρκα opponitur, intelligo, conferantur Mt. XXVI, 64. Act. II, 33. 36. V, 30. 31. Eph. I, 20. Hebr. I, 3 s. II Thess. I. 7. Deinde ut ὁρισθεὶς non „declaratus“ (quod ne potest quidem esse), sed „constitutus“ vertam, cogit loquendi usus. Cf. Act. X, 42. XVII, 31. V. Lexica. Idem fere h. l. quod ὑψωθεὶς (I Petr. II, 6—10. Eph. II, 10.)

ut, sive quis Graecorum numero sive barbarorum censeatur, (his autem partibus omne hominum genus includebant,) perinde omnes laetabilem eam doctrinam a se possint exigere quasi nomen quoddam (ὀφειλέτης εἰμί v. 14). Nimirum eam talem esse, quae quosvis fines huc usque fixos plane tollat. Quid? ne commemoratos quidem Judaeos barbaris, qui tunc dicerentur, aggregaverat. Tametsi igitur populares suos etiam ad Christum adductos a gentilibus fere abstinere sibique aliquid proprii juris arrogare videat, ab eo supercilio se longe abhorrere fatetur. Immo properare se ad Romanorum conspectum. „Non enim pudet me illius (v. 5) evangelii ad gentes perferendi.“ Pudebat autem istos, adeo ut ratio justitiae suae ipsis constare non videretur, nisi hodieque priscae legis religionibus acquiescerent ac saltem vetus operum foedus cum novo gratiae foedere jungerent. Quare graviter Paulus effatur, „solo meroque evangelio confidendum affirmans“: ***Potentia est Dei*** (illi autem evangelium infirmius salvando homini ducebant) ***in salutem*** (efficax) ***omni,*** quisquis est, modo ***credenti*** (sive sola fidei nec alia qua conditione); ***nec vero minus Judaeis*** (immo vocatione ***principibus***) ***quam Graecis,*** utrosque sodales inter se jungens. Quo autem pacto salus (quae utique eorum est, qui omnes aliter perituri sunt) omnibus offeratur in evangelio, jam sequitur. „***Justitia enim Dei,*** non hominum ista, quae nulla est, X, 3. Phil. III, 9, *in eo revelatur ex fide in fidem.*“ Quae postrema verba quid h. l. significare solum possint, ex toto tenore orationis cuique apparebit. Nimirum in eo est P., ut fide sola, nullo adscito vel interposito Legis complemento, servari hominem praedicet. Nunc maxime dixerat παντὶ τῷ πιστεύοντι; neque hoc ei sufficit. Jam enim animum induxit, veram justitiam, ***a Deo illam nobiscum communicatam,*** celebrare, quae fide, tanquam interioris vitae anima, tum recipiatur, tum excolatur, tum perficiatur. Quare quid quaeso potest illud eo sententiarum contextu sibi velle, nisi quod A. Bengelius dudum vidit: ut *meram* fidem dicat. „Namque justitia, quae ex fide est (s. nascitur), subsistit in fide.“ Allegat etiam Hebraea ex I Chron. XVII, 5 plane similia. — Confirmare autem hunc sensum videntur, quae continuo ex propheta adjecit. Omnino enim Paulo quoque maneat ea horum verborum conjunctio, quam manifesto Hebraea flagitant atque linguae leges solam ferunt,

ut ἐκ πίστεως ad verbum referatur. Hoc autem ipsum futurum verbum, inquit Calvinus, „designat ejus vitae, de qua loquitur, solidam perpetuitatem: ac si dixisset, non fore momentaneam, sed perpetuo constaturam" cf. Hebr. X f. Luculenter igitur inter se referuntur illa ἐκ π. εἰς π. et, quae ipsis maxime lucem affundant, prophetae verba. — Sed enim ipsi voci ζήσεται magnam vim ab Ap. tribui constat, adeoque illa σωτηρίας grande nomen augeri. Ex sacrato enim prophetarum sermone, quem Paulus quasi imbiberat, ἡ ζωὴ omnem beatitatem veram et coelestem complectitur, quo in statu vere constitui est σώζεσθαι, quod, pariter ut illud ζῆν, proprie ac plene de futura filiorum Dei vita ponitur, sic tamen ut primitias regni vitaeque coelestis interiores et citeriores contineat. Ad quam salutem per Messiam nobis adferendam ἡ σωτηρία s. liberatio *nunquam* a prophetis refertur, quin tollendae *injustitiae* (h. e. nostri a Deo discidii) primaria notio subsit. Omnium autem malorum, quaecunque in orbem ingruerunt, istam solam radicem esse intelligebant; qua prius evulsa demum sempiternae beatitatis fructus enitere adeoque veri *Israelis* (throni Davidici v. Zionis Ies. IX, 7. Matth. I, 32. 33) lux coelestis et claritas posset oriri. Inde Jehovah, qui quidem ipse populi sui ab omnibus *peccatis Servator* futurus sit, (Ps. CXXX, 8. Ies. LIX, 20) praecipue *Sanctus Israelis* dicitur, idemque universi generis Deus (Ies. LIV, 5). Inde Christus talis gentium ἀρχιποιμὴν portenditur, qui „jus et *justitiam* in terris exerceat ad salvandum Israëlem (nimirum cfr. Ioa. X, 16 et Rom. IX, 24 sqq.); atque hoc nomen est, quo vocabunt eum: o Jehovah, *justitia nostra.*" (Ier. XXIII, 3—6. cf. Ies. XLII, 1—7. Ies. LIII, 12). Atque illud est universi de Christo vaticinii caput. „Respicite ad me et *servemini omnes fines terrae.* Per me juravi, mihi incurvatum iri omne genu (Phil. II, 10. 11); juraturam omnem linguam: *Tantummodo in Jehovah omnis justitia* et robur est. — In Jehovah *justificabuntur* et gloriabuntur totum semen *Israelis*". (Ies. XLV, 23 sqq.) Quare quoties *salutis* (σωτηρίας), toties fere *justitiae* (δικαιοσύνης) fit promissio, nec minus ipsa justitia quam salus, cujus ille velut spiritus est, *ipsius Dei* esse praedicatur. (Ps. XXIV, 5. XCVIII, 2. Ies. LXI, 10. 11, XXXII, 15. 17. LI, 1—11). Quid? ipsi prophetae *justitiam hominum*, quam quidem suam dicant, coram Deo nullam esse (Ies. LXIV, 6. Dan. IX, 18) asseverant, adeo ut vera

justitia utique unius Dei sit. Propterea hoc summum documentum *gratiae et misericordiae* praedicant, quod Deus sanctus impuris hominibus (sensu quippe peccatorum perculsis et illi fidentibus) *suam impertiri justitiam* non dedignatur. Neque aliunde quisquam nancisci eam poterit. In hoc autem, quod Deus injustis justitiam suam et fide sincera quasi nostram nobis adsciscendam praebet, et vere per spiritum suum fidentibus et appetentibus informat, ita ut ex injustis justi fiamus, ipsum adest regnum Dei (cf. Matth. VI, 33). Hanc esse veram receptionem et adoptionem, omnes prophetae testantur. Neque vero graviter minus toto doctrinae tenore illud inculcant, principe loco et quasi fundamenti instar ea ipsa in causa habendam esse veniam gratiamque delictorum factam; neque ullam accessionem ad Deum divinaeque justitiae fructum nobis contingere posse, nisi impunitate (remissione) et impetrata semel et continuo impetranda. Hae duae partes, quas hodie praeter naturam rei et veritatem distrahunt, magistra scriptura sacra, prorsus unum idemque efficiunt. Atque haec de genere est *ἡ δικαιοσύνη θεοῦ μαρτυρουμένη ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν* (Rom. III, 21), *δικαιοσύνη δὲ θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Veram enim et integram omnibusque numeris absolutam justitiam, uno verbo *suam*, in re positam, Deus *ἐνεδείξατο* (h. e. exhibuit) in Christo et filio suo et homine (III, 25 s. V, 15 s.), ex illo ad nos fidentes redundaturam.

At si denique quaeras, quibus notis ipsa illa Dei justitia in nobis ad nostram injustitiam amoliendam conspiciatur, et quomodo virtutem suam exserat, a *nostra* justitia plane diversam, non minus audire convenit *μαρτυρίαν* prophetarum. Jeremias autem XXXI, 33: *Hoc illud est foedus*, inquit, *quod pangam cum domo Israelis post dies hos: indam legem meam menti eorum et cordi eorum inscribam eam, et ero eis Deus et ipsi erunt populus meus.* (cf. omn. v. 34). Ezechiel autem XXXVI, 26. 27: *Et dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in pectore eorum* (cf. 21—28). — Nec alia a prophetico sensu dicitur Paulo justitia Dei, quippe cui novum aliquod loquendi genus excudere, Romanos suos simpliciter compellanti, ne in mentem quidem venerit.

Illam vero justitiam ipsius Dei, ait Paulus, quum alias non conspiciatur neque locum inter homines habeat, nunc tandem *revelari* in evangelio, unde

illud *ipsius Dei* δύναμιν εἰς σωτηρίαν adeoque ad beatam *vitam* jure dici appareat. Quae dum inter se jungere voles, sunt enim jungenda (γὰρ), vide, ne infringas vim apostolicae orationis. Omnino enim in his *revelandi* verbum ampliori sensu, quam quo solet, accipiendum erit. Est enim nimis tenue, de docendo et manifestum faciendo tantum intelligere. Descriptio enim justitiae et adumbratio aliqua quo pacto poterit *potentia* Dei dici? Deinde hoc ne verum quidem est, in evangelio demum illam imaginem exhiberi verae justitiae, quam monente ipso Paulo apud prophetas *attestatam* legerimus. Dico autem, illud verbum ne uno quidem N. T. loco ita adstringi. Longum est omnes perlustrare; sufficiat unum contulisse, nostro haud absimilem. Ad Galatas enim: antequam venisset fides, inquit, sub legis praesidio custodiebamur, conclusi in fidem τὴν μέλλουσαν ἀποκαλυφθῆναι, h. e. non quam suo tempore homines docendi essent, sed quae legis quasi vinculis et umbris tunc involuta, in lucem proditura et animis vim suam salutarem vere et efficaciter patefactura esset. Solet autem vox de iis adhiberi, quae spiritu divino agitante animum penitius et collustrant et commovent. Itaque nostro versu non minus quam proxime inferiori ἀποκαλύπτεσθαι non de doctrina tantum, sed de intellectu interiori atque informatione rei per *spiritum* veritatis effecta acceperim (cf. Mt. XI, 25. XV, 17. Eph. III, 5.) Ἐν αὐτῷ, si ad evangelium retuleris*), simpliciter causam efficientem significet, modo memineris evangelium (v. 16) h. l. dici ipsam *praedicationem* Christi, in qua (ut nos: unter welcher) illa justitia dei se vere manifestet, nec mera notitia, sed vi et veritate se exserat suamque effigiem efficienter animis informet (cf. omnino Ps. XCVIII, 2.) Nimirum hoc ipsum Paulus, eorum, quae vere eveniant, testis, *medio in evangelii cursu* de Hellenibus etiam, h. e. *de ethnicis* testatur, nullo legis servitio fidem germanam Christo adhibentibus.

Jam igitur inchoavit Ap., quod praecipue ei propositum est, ut et Judaeum et Gentilem pari jure et loco constituat. *Experientiam* autem simpli-

*) Haud scio, an forte ἐν αὐτῷ ad eum, qui proxime dictus fuit, τὸν πιστεύοντα (et Judaeum et *Hellenem*) referatur. Certe nec linguae rationes repugnant, neque vis sententiae: (Ἐν jam v. 19 eodem usu veniet.)

citer testem adhibet eorum, quae fides mera et integra efficiat, (ut *justitia Dei* adeoque non interitura salus compareat.) En statum s. cardinem totius epistolae, quem iterum III, 21 sqq. explicatius proponit, deinceps ex interioribus rationibus *fidei justitiam* expositurus. Eo enim usque, non deflectens de via, sed impedimenta viae amoliens, fiduciam Judaeis *propriae justitiae* praecidit. *Experientiae* enim testimonio, sive veritate rerum humanarum in medio posita, omnem *cujuslibet* hominis, ergo Judaei quoque, fastum retundit. Is enim *non soli Dei gratiae in Christo* exhibitae salutem se debere autumabat, sed suo vitae instituto *a profanis gentibus caute secreto* aliquid dabat. Quid igitur Paulus agit? Quo nihil poterat efficacius. Prorsus enim *ejusdem et impietatis et injustitiae* (v. 18) *universum* nullo discrimine hominum *genus* reum peragit, coram Deo juste vindicante (ὀργή); ita ut Judaeos *consulto* ne nomine quidem distinguat (a v. 18 usque ad extr. c.) Haec autem, utcunque pridem obscuriora adeoque dubia, *nunc ipsum* patefieri (ἀποκαλύπτεται, v. 18) et aperte cuique cognoscenda esse, luce evangelii vices humanas collustrante, cfr. de ea re effatum ipsius Christi Joa. III, 19—21. 36; adde Eph. V, 11—13. *) Promulgat enim, *omnes* perinde homines, etsi diversis modis, „sub eodem peccato esse" (III, 9) et resipiscentia egere (μετανοία, Actor. III, 19. coll. XVII, 30). Nisi enim peccatores adeoque perditi omnes sisterentur, justitia *sua* vacui, neque a *justitia* Dei neque a gratia auxilium iis petendum foret. Omnes autem pari in culpa sunt, quod *veritatem* ipsis utique cognoscendam detineant (κατέχειν) atque debilitent ob eandem *injustitiam* et inobedientiam. Itaque Paulus de humano genere plane in universum loquitur, quippe qui Dei ipsius *de alto coelo* aestimationem hominum nullis terrestribus et perituris confiniis quasi distrahere et per-

*) Ὀργὴ θεοῦ, quae ab *injustitia* et ἀπειθεία (XI, 22) nunquam sejungitur, (quamvis cum μακροθυμία Dei conjuncta, v. II, 4 et IX, 22) non voce, sed ab eventu opponitur τῇ δικαιοσύνῃ θεοῦ. Ἀπ' οὐρανοῦ autem (non patefieri, sed) esse et exerceri h. l. dicitur eodem plane sensu, quo Ps. XIV, 2. LIII, 3. CII, 20. (Zach. c. IX Messiano: »Jehovae est oculus [spectator] hominum«.) XI, 4. Omnino autem *praesens* verbum expendas. Pro usitata enim interpretatione dicendum videtur ἀπεκαλύφθη, vel propter vv. *explicandi* causa additos, maxime 24, 26, 28: παρέδωκε. Ps. XXXIII, 13 ss.

turbare velit. Ὀργὴ autem θεοῦ sive justa vindicta diversas aetates hominum ac species aequa lance pensat. Principio quidem genus nostrum ad profanum idolorum cultum descivisse ait ab uno vero Deo, qui tamen sensum sui et scientiam animis humanis ita informaverit (v. 19. cf. Gen. I, 27), ut haec semina *veritatis*, si adolescere sinerent, ipsis operibus Dei considerandis, eos ad clariorem in dies intellectum virtutis divinae perductura fuissent (v. 20). Neque igitur homines (et multo ante et post Abrahamum) Deo, neque *notitiae* ejus innatae debitum *honorem* habuere.

Jam vero *abditum* Dei judicium (ὀργή) in ea re *nobis* est agnoscendum, quod primum *tenebrae* offusae sunt ingrato et insipienti eorum cordi, et frustrati sunt cogitationibus suis superbientes (v. 21. 22), tum vero post adulteratam Dei majestatem et rerum conditarum pro Deo cultum praecipites eos ire et eo prolabi turpitudinis passus est (Act. XIV, 16. cf. Ps. LXXXI, 13), ut ipsi inter sese dedecorarent corpora sua (v. 23—27). Atque his modis contumelia Deo facta in ipsos recidit. Accessit autem alterum nequitiae genus haud minus humanitatis crimen. Contigit enim iis divinitus propior et manifesta *ipsius Dei viventis* non notitia tantum, sed agnitio et vera conjunctio.*) Sed ne ejus quidem dotis *homines* (nimirum Judaei) pretium fecerunt (ἐδοκίμασαν), neque eam suo honore affecerunt. Tum enim ad idola deflectebant, tum vero maxime animo moribusque se iis plane aequabant, quibus sanctissimi Dei ne suspicio quidem esset. „Dominum Deum vestrum, inquit, *sanctificate in cordibus vestris.*" Isti vero, vel si maxime praerogativam suam ostentarent, non *suo pretio* aestimabant (ἐδοκίμασαν cf. II, 24) Israeliticum nomen: id quod breviter h. l. P. perstringit, tota epistola veram τῷ νόμῳ dignitatem vindicaturus.

---

*) Longissime τὸ γνωστὸν τ. θεοῦ (v. 19. 21) distat ab ἐπιγνώσει, quae accuratiorem semper cognitionis modum adeoque frequenter usum ipsius rei et contuitum notat. (cf. II Tim. III, 7. Eph. I, 17. IV, 13. ἐπίγνωσις τ. υἱοῦ τ. θεοῦ). I Cor. XIII, 12. Hoc autem v. leniter fit progressus a gentibus, sive potius *hominibus* in universum dictis, ad eam gentem, quae singularibus Dei institutis et oraculis eam numinis scientiam acceperat, cui adumbratam Dei informationem suam ne comparare quidem reliquae possent. — Verum in animo erat Paulo, fusius et apertius mox Judaeos compellare in summo fine digressionis. (II, 17—24. III, 9—19.)

Neque sua huic perversitati poena defuit (καθὼς — παρέδωκεν v. 28 - fin.) Passus est enim Deus abire eos, immo tradidit velut excaecandos in mentem ἀδόκιμον, stolidam, probo de rebus divinis et humanis judicio inanem suaeque maxime propriae salutis contemtricem. Faciunt autem, quae ipsos, scilicet populum Deo sacrum et gentium numero exemtum, cummaxime dedeceat. Quid? in omne genus criminum, maxime odiorum et interni discidii (cf. Tit. III, 3) projecti; quantumlibet prae reliquis omnibus Dei grave in maleficos judicium (Deuter. XXVII, 26) noverint, non modo patrant flagitia, verum etiam aliis committentibus assentiuntur. Eo vesaniae deventum est apud eos, qui ἐπίγνωσιν θεοῦ jactant. In hunc modum ira Dei patefit in omne hominum genus effusa (v. 18) eoque acrior, quo major veritatis lux ipsis praesto sit.*)

Jam igitur ex instituto *hactenus* Paulus cujuslibet generis homines nihil habere ostendit, quod impietati suae praetexant et quo ab indignatione Dei atque vindicta sese subducant. Quare quod priori ejus imaginis parti (v. 19—27) inseruerat, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους, posteriori eique plane conformi adjecit: διὸ ἀναπολόγητος εἶ. Dum haec uno tenore legas, capitis incisum nihil moratus, extrema omnia *imprimis* in Judaeos intendi, quos ne nunc quidem nomine insigniat, certo videbis. Quo enim pacto hic repente incidit mentio τοῦ κρίνοντος? At nihil hic repentini vel abrupti. Quid enim erat, cur sub uno contuitu generis humani universitatem poneret? Nimirum hoc erat

---

*) Ne dubium quidem mihi videtur, quin v. 32 de Judaeis tantum verus sit, neque Paulus certe a lecturis hos vv. 28—32 alio referri posse suspicatus sit. Δικαίωμα enim τοῦ θεοῦ, h. e. *scitum* et *jus summi Dei* ratum certaque lege promulgatum (Luc. I, 6. Hebr. IX, 1. 10. Rom. II, 26. VIII, 4.) ne poterant quidem reliquae gentes novisse; quid? ne sapientissimorum quidem cuiquam in mentem venit, »avaros, lascivos, obtrectatores, immisericordes, parentum contemtores et superbos (29—32) *morte* dignos esse«; nec ipsam vocem intelligebant; (*Scriptum* autem exstabat: ὁ ποιήσας αὐτὰ (τὰ κρίματα καὶ δικαιώματα) ζήσεται ἐν αὐτοῖς Lev. XVIII, 5 al.); nedum ἐπιγνόντες (cum approbatione accuratius agnovisse) dicerentur. — Accedit quod *his* ipsis coloribus *Judaei* maxime depingi solent; cfr. *maxime*, quae mox ipse P. subjecturus erat III, 10—18 (τοῖς ἐν τῷ νόμῳ v. 19) 1 Thess. II, 15, (ubi istud θεοστυγεῖς v. 30 explicatum habes), Tit. III, 3. — Quod autem *assentientes* eosdem continuo κρίνειν dicit, magna emphasis est,

in causa, quod Judaei supra gentiles, quos fastidiose dicerent, sese evehendo eos impuritatis et profanitatis cupide insimulabant, iidemque semet ipsos *salutis* vel *justitiae* per Christum gratuito oblatae non perinde atque illos indigere jactabant, quin praeter meram fidem et supplicem animum de suo aliquid ostentarent. Denique quid faciebant aliud, nisi ut κρίνοντες fidem suam veramque justitiam ipsi adulterarent, tum adulteratam alienigenis ingererent. Proinde sub epistolae finem, qui prooemium nostrum ubique respicit, Judaeos evangelii participes graviter monet: μὴ κρινέτω; (gentilem autem Christi asseclam: μὴ ἐξουθενείτω; v. maxime XIV, 3 seqq. *) — Quid vero P. jam illo primo capite ad umbilicum adducere voluerit, ipse eo respiciens III, 9 explicate dicit: προῃτιασάμεθα Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας πάντας ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι.

Sensus igitur verbis (II, 1) hic inest: Quae quum ita sint, (quandoquidem aequali ac plane simili utrimque culpa delinquitur) nihil habes, quo te cum maxime excuses culpaque communi eximas, *quisquis* es vel tibi esse videris, o homo, *quantumvis* (confuse plerique: de eo quod) tibi placens judicem agas caeterorum. Tu enimvero, quisquis es, non is es, qui de neglectu veritatis in deumque contumelia sententiam dicas. Curni? Nimirum in te ipsum pronuncias sententiam, quum in alterum pronuncias: quandoquidem tu ipse committis, quorum nomine damnas alterum (scl. quod tibi, Judaee, nuper ante oculos posuimus). — At enim facta τοῦ κρίνοντος mentio eo Ap. adducit, ut pro perpetua evangelii ratione ipsum coram Dei unius judicio sistat. (cfr. XII, 19. Mt. VII, 1. 2) Hoc autem ipso a *praesenti* ὀργῇ Θεοῦ (I, 18. cf. II, 3. 5. Eph. V, 6) ad *futuram* transfertur s. justam Dei ἀνταπόδοσιν, quae in ultimo discrimine rerum humanarum et judicio fiet (v. 2—16.) Κρίμα enim Θ. Paulus v. 2 et 4 omnino sic dicit, ut plane conferri possint Johannis B. verba in pharisaicam, quae tunc erat, Judaeorum indolem vibrata: τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς; Et illud qui-

*) Omnino advertas necesse est ad iteratum illud πᾶς v. 16, v. 18, praecipue II, 1, ubi ὦ ἄνθρωπε πᾶς eadem vi ponitur, qua πᾶς ὁ κόσμος III, 19, et πᾶσα σάρξ ib. 20 (cf. πάντες ib. 9 et 23). Quid hoc sibi velit, ipse exponit P., totum hoc prologium concludendo, III, 28. 29, ubi ἄνθρωπον proponit, qua notione Ἰουδαίων et ἐθνῶν promiscue una ratio contineatur.

dem Dei judicium in aperta luce positurum est abdita mentium et interiora, quae nunc quidem sub falsa specie et vitae habitu tegantur (ἡμέρα ἀποκαλύψεως v. 5). Deus vero ὁ καρδιογνώστης sua cuique facta (v. 6) repensurus est, ita ut tamen non conspicua specie actionum sibi imponi sinat, sed ille quidem secundum interiorem *veritatem* (κατὰ ἀλήθειαν v. 2) sententiam ferat. Est vero ea dies omnino omnibus pariter impiis pertimescenda, sed gravissime in eos ingruet, qui largissime effusam Dei benignitatem et patientiam experti resipiscere noluere. (v. 4. 5) Id quod Paulum *imprimis* in Judaeos dictum velle quis dubitet? (cf. Mt. X,15. XI, 23. Act. III, 26.) Quos ne hic quidem nomine compellat, quoniam ejus maxime intererat omnes nullo discrimine homines ad unum Deum extremum judicem provocare, apud quem nullus futurus sit *personarum* respectus (eorum, quae in terris extrinsecus hominem supra hominem evehant, sive τῆς σαρκός) v. 11. *)

Quale vero et cujus quasi sedentis judicis hoc judicium futurum sit, Pauli jam nihil interest exponere. Hoc enim unum agit, ut *judicium* divinum imminens a corrupto hominum *judicio* prorsus differre in eoque omnia exactum iri ad *veritatem* rerum interiorem ab istis injuste adulteratam (I, 18) doceat. At enim P. non ignorare lecturos probe sciebat, patrem filio suo homini hominum judicandorum provinciam tradidisse. Haec enim necessaria pars est *regni* a Christo jam suscepti et ad illustrem finem (Act. III, 21. 1 Cor. XV) perducendi quasique consummatio, ut demum eos, qui ipsius ditioni obnoxii sunt, coram suo tribunali sistat, pro factis mercedem repositurus. Ὁ Κύριος (I, 4) unicuique evangelii elementis imbuto idem Judex innotuerat. (Judaeis pridem

---

*) Siquidem proprium *injustitiae* fructum demonstraverat esse τὸ κατέχειν τὴν ἀλήθειαν, eumque maxime ad omne genus propagatum, quid eum censes existimasse de Judaeis tunc temporis primo *verum* Messiam cruci adfigentibus, deinde *veritatis* testes ad internecionem persequentibus, praeterea praeconium *evangelii* (v. Acta) apud gentes remorantibus, (cf. I Thess. II, 16), denique *veram* et sanam de Christi gratia doctrinam, vel agnitam, judaico errore adstringentibus ejusque incremento uberiori valde infestis. *Illam* quidem formam ipsam accusationis (c. I.) universae delegit Judaeorum causa, in quos cum maxime caderet. Quid? quod *gentium* perditos mores adumbrare ne loci quidem hujus erat, nisi intererat eo ipso telo gravius ferire istum scilicet Dei populum. *Illas* enimvero a Deo pietatisque studio aversas esse, ecquis dubitabat?

de Messia ita edoctis ac vix monito opus habentibus.) Quare, ut de publica repetitaque Jesu ipsius doctrina (e. g. Joh. V, 22. 27—29. cf. Matth. XXV, 31 ad fin.) nihil loquar, apostoli primis ad rudes evangelii concionibus eam doctrinam arcte jungebant cum ipso veniae per Christum impetrandae praeconio. „Mandavit nobis (apostolis), inquit Petrus (Act. X, 42), ut praedicemus populo et cum testificatione denunciemus eum esse, qui definitus sit a Deo judex vivorum ac mortuorum." — Quum igitur P. judicium de omnibus gentibus aliquando habendum dicebat, illud a Christo apertum iri *sponte* omnes intelligebant. Neque minus et Paulus et Romani nostri, antequam eo deveniretur, evangelium omnibus populis promulgandum esse (Matth. XXIV, 14) noverant. Quos igitur in extremo judicio ad tribunal τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου provocandos nobis h. l. proponit, omnino re ipsa exigente alii nulli ne cogitari quidem possunt, nisi qui et ipsi evangelii notitiam vel „vocationem", sive obedientes ex intimo pectore, sive impuris adeoque diffidentibus animis acceperint. Atque hoc si bene memineris, ea demum recte intelliges, quae de una alterave parte hominum judicandorum Apostolum pronunciantem legis.

Duas enim partes constituit, tum eorum, qui judici omnino probabuntur, tum eorum, qui causa excident. Illorum autem is animus describitur, qui nisi in renovato per Christum homine in nemine esse possit. Ne enim credas, Paulum, nuper serio depicta communi omnium injustitia, jam illudere verbis. Nec enim ille quidem ignorabat omnium virtutum specimina passim apud ipsos idololatras conspicua, nec suum iis invidebat honorem vel apud homines aequos vel apud Deum ipsum in omnes benignum (Act. XIV, 17. XVII, 22. 23. 27. ss.) Idem vero non sufficere haec talia ad regnum coeleste vidit, utpote qui justitiam *Dei* penitius edoctus, deinceps suam superioris aetatis justitiam, quamlibet non simulatam, ipse rejiceret ac flocci aestimaret (Phil. III, 7. 8.) Nam sine agnito vero Deo et quem nobis dedit, filio neque pietas in Deum germana nec denique vita aeterna contingere nobis potest, teste ubique locupletissimo ipso Paulo.

Jam vero eum accurate audiamus, hoc quoque loco sic docentem, ut pariter ac nuper *praesentis* ὀργῆς, nunc jam *futurae* δικαιοκρισίας plane aequa-

bilem et ad nos nostraque conformatam rationem exhibeat. — Reddet Deus pro suis cuique actionibus (duplicem constituturus seorsim ordinem). Τοῖς μὲν (his quidem; nos: den Einen) *pro**) tenaci unius propositi perseverantia eaque circa unum summum bonum (unum idemque continuum bonum opus, s. ἔργον Κυρίου cf. I Cor. XV, 58. Apoc. XXII, 12, max. Phil. I, 6. II Thess. I, 11) occupata, juste rependet *gloriam* (beatitatem et claritatem coelestis status), *honorem* (palmamque, cum omnium gaudio, victori tributam) et *immortalitatem* (omni labe et detrimento superiorem), quippe qui (cum sensibus desideriisque, tum agendo patiendoque) aeternam vitam solam appetant et ambiant.

Est vero hic animus superna quaerentium, ubi Christus sit, ipsorum vera vita, quo tandem „gloriosum" in conspectum veniente, et ipsi cum illo se gloriosos patefactum iri certo confidant. (Col. III, 1—6. Joa. VI, 27. 40. XVII, 3. 22. Phil. III, 8. 14. Rom. V, 21 al.)**) — Idem vero judex *alteri parti* (τοῖς δὲ, etiam seorsim accipiendum, den Andern) *perinde* reponet, *atque deliquerunt*. Pro ipsorum enim (ἐξ) *rixosa* et morosa mente, sui commodi et *falsi honoris tenace*, inique vel doctrinae vel maxime moribus obtrectandi cupida, (haec enim graece dicitur ἐριθεία), illis itidem ira et rigor divinae justitiae continget. Eam autem innuit animorum affectionem, quam tunc quidem *praecipue* in Judaeis adeoque τοῖς ἐκ περιτομῆς notandam eamque evangelio perniciosissimam cogno-

---

*) Κατὰ ne hic quidem aliud mihi videtur, quam quod assolet: *secundum*, aequali modo accomodate ad id, quod capimus. Illa enim ὑπομονὴ (sancti instituti constantia) semper summa in laude christianae perfectionis posita primum τῇ δόξῃ sic respondet, ut ipsa jam sit δεδοξασμένη animi conditio, tum τῇ τιμῇ, quae nunquam nisi assiduis et ad finem perdurantibus contingit, postremo τῇ ἀφθαρσίᾳ, perpetuo et immoto aeternae vitae statui, ut nihil possit magis respondere.

**) Plerosque omnes constat ζωὴν αἰών. referre ad ἀποδώσει, a quo tamen nimis avulsum est. Deinde ne ad usum quidem isti se verbo facile aptat. Accedit, quod tria praemiorum immortalium nomina (vid. *jam* v. 10. I Petr. I, 7. 23. V, 4. Hebr. II, 7. 9. I Cor. IX, 25. Joa. II, 26) optime ad ἀποδώσει quadrant, non item ad ζητοῦσι, cui quidem nihil melius quam ζωὴ αἰών. convenit. Denique quorsum ita distorta significatio partium judicii contrariarum? Cf. evangelica simplicitas locorum Matth. VII, 21. XXV, 31 ss. XVI, 27. Joa. V, 29. II Cor. V, 10; al. Speramus equidem, interpretationem supra παραφράσει indicatam tum sua se concinnitate commendaturam, tum praesidii plurimum a prox. V. inventuram esse.

verat (vid. e. g. Tit. I, 10. ss. cf. I Tim. VI, 3. ss. 1 Thess. II, 15. 16. Gal. V, 20. ss. VI, 12. ss.) Denique nihil ea voce (simplicius solito explicanda) voluit aliud eloqui, nisi quod legentis animo ex c. I, vv. 28. ss., praesertim τοῦ κρίνοντος effigie illa, unice obversari intelligeret. — Interseruit autem quaedam versui ad causam cummaxime facientia. Perinde enim ac prius sententiae incisum apte auxerat addito illo ζητοῦσι (quasi exoptatum aliquid toto animo appetentibus, cf. Act. XIII, 48), hoc sensu participii: *siquidem, quandoquidem*, itidem in conformi altero hoc facit. „Et quoniam veritati (ipsis divina χρηστότητι v. 4 oblatae) *ingrati* obsequium denegarunt et perverse *contentiosi* maluere injustitiae obtemperare", ob id ipsum ecce fervens indignatio et excandescentia Dei.*) — Jam personante ejus animum loco Psalm. LXXVIII, 49, ipsorum *pertinacium Judaeorum* vituperio, ac fervente spiritu (v. 9) subjecit, quae Asaphus porro cecinit. Voluit autem simplicius et ad rem efficacius, quod res est, expromere, nullo quasi *oblique* Judaeorum indicio facto. Concise igitur graviterque, tanquam vice judicis, afflictationem angustiasque denuntiat, nimirum primum Judaeo, tum Helleni quoque, cuivis *operanti malum;* vicissim gloriam Dei, et laudem voluptatemque perpetuam, pacem denique coelestem, omnium *promissorum* caput, (Hebr. IV, 9) pollicetur cuivis *bonum operanti;* ita ut haec quoque salutis possessio suo et naturali ordine a Judaeis incipiat, comprehensura omnes toto orbe Dei filios. Nam hoc quidem nemini dubium erit, vel Paulinae doctrinae vel graecitatis indole perpensa, τὸ κατεργάζεσθαι non de singulis modo aliquibus actionibus dici, sed de perpetuo vitae tenore adeoque de solido animi affectuumque instituto. Nunc autem τὸ ἀγαθὸν, h. e. voluntatem Dei, nemo homo ex intimo pectore diliget eique perficiendae se totum consecrabit, (adeo ut hoc solum *munus* vitae atque *opus* vere existimet), nisi qui per fidem Christo insitus (Rom. VI—VIII. cf. Col. I, 14) *legem Dei animo insculptam gerat.* Neque ei rei hoc pugnat, quod ne ii quidem interim immunes deprehenduntur peccandi. Injustitia enim non *dominabitur* nobis in dies magis tollenda. Ipse

---

*) Nominativi nolim te offendant. Nomina enim, quae acu rem tangerent, θυμὸς et ὀργὴ, erant talia, quae cum ἀποδώσει nectere vix liceret. Tum solennius jam effertur vox Pauli.

igitur ego, inquit Paulus, *mente* quidem intus servio legi Dei, *carne* vero (in mortem usque tradenda) legi peccati (VI, 11. 14. 22. VII, 25). —

Denique habes locum luculentissime explicatum Nostri ipsius verbis ad Thess. altera ep. (I, 7. ss.), super „justo justitio Dei" (v. 5. 6.) scribentis; „Vobis, qui nunc affligimini, quietem ac pacem reddet in revelatione Domini Jesu de coelo, qui inflicturus est ultionem iis, qui (pertinaciter quippe rejecto testimonio veritatis) Deum nesciunt (Eph. IV, 18. 19), neque auscultant evangelio D. N. J. Chr., quum venerit, ut glorificetur in sanctis suis: et admirandus fiat in *credentibus* omnibus, (quippe quod *fides* habita fuerit *testimonio* nostro apud vos audito) in die illo. — At si tamen dubites, quo ad Romanos scribens unice P. respiciat, audi eum sub finem epist. *eodem consilio*, quo nunc ipsum, pronunciantem: „Tu vero cur condemnas fratrem? caet. Omnes enim nos sistemur *apud tribunal Christi.* Unusquisque enim *nostrum* de se ipso rationem reddet *Deo.*" (XIV, 12.)

V. 11 causam conficit sacro proverbio. Negat enim Deum esse προςωπολήπτην. Atqui *personam*, quae quidem veteribus dicebatur, quo utique minus respicit Deus, eo acrius graviusque inquirit in corda hominum, h. e.: τὸν ἔσω ἄνθρωπον s. τὸν νοῦν (c. VII) pro sancta sua justitia prorsus postulat *suae* respondere *legi.* Neque ea legis auctoritas latebat Judaeos. Immo invigilabant vel apici legis. Quid enim? ut profana voce in re sane profana utar, quasi palladio gloriabantur divina lege, defungi se adeoque „φυλάσσεσθαι" rati, dum eam identide maudirent, recitarent, quid? compendio scilicet rei facto, in fronte brachiove gererent, cultum legis in minutissimis rebus prae se ferrent. Nimirum hoc erat legem colere. Quid Noster? Hanc ipsam possessionem legis, quae natu contigisset, omnemque sacrosanctum ornatum legitimi habitus nihil nisi πρόςωπον esse larvaeque instar perhibet. Hoc quidem illo γὰρ continetur v. 12, quae particula satis loquitur, qui versus jam sequantur, eos eodem referendos, sub eodemque contuitu ponendos esse, quo superiores. — Eo brevius licebit exponere, quid nobis de hoc loco exploratum sit.

Ἄνομοι h. l. simpliciter dici videntur, qui ab Judaeis modo distincti sunt, Ἕλληνες, sive ii omnes, qui judaico legis instituto non obsequuntur. Sunt

igitur, quod nemo h. l. addubitabit, ἔθνη, pro quibus et modo dicti erant (v. 9 et 10 cf. I, 16), et alias promiscue ponuntur (e. g. I Cor. I, 22—24). Nihil autem discrimen ἀνόμων et τῶν ἐν νόμῳ hic factum ad animum moresque pertinet: nimirum testante ap. nonnisi τοῦ προσώπου ea res est, de quo etiam cfr. Act. X, 34. Quid? quod ipse P., inter Graecos istis ritibus et anxia morositate abstinens, semet ἄνομον esse ait, idem sese non dissolutum suique arbitrii, sed ἔννομον Χριστῷ dicens (I Cor. IX, 21, cfr. νόμος πνεύματος Rom. VIII, 2. al.) Videmus igitur hoc exemplo, ipsos qui *natu* Judaei essent, τύπῳ διδαχῆς evangelico (VI, 17) suscepto, potuisse vel ἐν νόμῳ vel ἀνόμως (quod dicebatur vel ἐθνικῶς vel Ἰουδαικῶς, nullo ad *dignitatem* morum per se momento, vid. Gal. II, 14, cf. Act. XI, 13) vivere. Nec deerant omnino τῶν ἐξ ἀκροβυστίας, qui legis judaicae vinculis se obstringi sinerent. Id si etiam respicimus, ὅσοι, quos dicit N., nunc ex Judaeis, nunc ex gentibus esse poterant. Hoc igitur agit, ut Deo judice eum, qui servus injustitiae vixerit (c. VI), periturum doceat, sive hoc illove statu et habitu exteriori fuerit. — Vides igitur Pauli mentem continuo ad extremum illud discrimen rerum tendere, in quo Christum judicem sciamus neutiquam inquisiturum esse: num quis eorum, quos judicaturus est, circumcisus fuerit, noveritne hos illosve ritus, nec ne, sed plane aliis de rebus investigaturum Matth. XXV, 7—fin.

Ii vero, qui in lege acquiescunt eamque quasi judici ostentaturi sunt, ipsi ostendent, quo coarguantur (κριθήσονται v. 12). Nam ipsa legis notio hoc habet, ut faciendum quid praescribat. Qui legis cultorem se nuncupat, eo ipso legi se per omnia satisfacere debere profitetur. Nam hoc omnino compertum est: „non eos, qui audiunt legem, justos apud deum (licet coram hominum oculis personam gerant justorum)*) esse, sed qui legi praestandae seriam operam navaverint, justos aliquando declaratum iri.

Ex accurato autem harum sententiarum nexu illud efficitur, τὸν ποιητὴν τοῦ νόμου primo eundem esse, qui paulo ante ἐργαζόμενος τὸ ἀγαθόν, tum ζητῶν

*) Justinus M. Judaicos magistros ait docuisse: siquis *stirpe* esset Abrahae semen, etiamsi Dei mandatis non obtemperaret, utique (πάντως) τὴν βασίλειαν αἰώνιον ei cessuram esse.

ζωὴν αἰώνιον, atque adeo cum ὑπομονῇ ἔργου ἀγαθοῦ, ab auctore notatus est, tum, sive Judaeum, sive gentilem, aeternae salutis participem praedicari. Quod si etiam altius adscendimus, undenam profectus sit P., et quid propositum habeat, denuo recordaturi, his verbis comprehendisse sufficiet: nullo legis praesidio, sed sola fide Christo vere habita nascitur in Judaeis pariter et ipsis gentibus „vera justitia, nimirum Dei ipsius" (adeoque *imago* Dei solida et expressa, cf. omnino Col. III, 10 11.) Eandem sententiam, a qua omnia pendere sentit Ap., paulo post sic effert: Λογιζόμεθα οὖν πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον, χωρὶς ἔργων νόμου (III, 28). Hoc vero loco plane contrarium audire videmur ex eodem apostolo simpliciter pronunciante: οἱ ποιηταὶ τοῦ νόμου δικαιωθήσονται, h. e. in futuro Dei judicio, s. ad tribunal Christi. Scio interpretes, nisi taceant, ut assolet, vel adeo Christo Sotere nil opus esse hinc efficiant, ex *hypothesi* ea dici velle, cui opinioni in hac compage sententiarum (a v. 6 inde) nihilum omnino suffragatur. Equidem vero Paulum non magis a se ipsum dissentire arbitror, quam Paulum Jacobo ap., vel adeo Christum sibimet ipsum pugnare (Compositam dudum litem invenies in Knappii, Neandri, al. scriptis). Nam hic quoque Paulo res est cum iis, qui novisse legem satis ducerent, quibus sibimet constans cum Jacobo graviter dicturus erat: Ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστι καθ' ἑαυτήν (Jac. II, 14 ss.) Itidem Christus *de judicio* loquens omnia videtur rebus *suo nomine* bene factis metiri; quid enim? *in messi* num semina an *fructus* quaeruntur? Eadem est ratio hujus loci, qui pro consilio quidem auctoris de sola actione agit, ita tamen, ut ad veritatem sensuum ap. nihil insit aliud nisi illud: Οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα (VIII, 1. ss.)

Jam vero vix dicto opus est, versum 14 quarta vice per particulam γὰρ superioribus annexum non de genere nescio quo hominum novo et insolenti a me accipi, verum non posse alio quam ad eosdem illos referri, circa quos omnis oratio versatur.

Nimirum *ipsos Judaeos* testes adhibet verae ex fide justitiae. Legem enimvero magni faciunt: nempe inanem ejus umbram sonumve. Cedat umbra soli, litterae species *ipsi veritati rerum.* Οἱ ποιηταὶ, quiqui sunt, legis, neque

partium ejus modo aliquarum, sed *solidae veraeque voluntatis Dei* „*confectores*“, suum legi habuisse honorem judicabuntur. Chrysost.: οὐκ ἐκβάλλω οὖν τὸν νόμον ἀλλὰ καὶ ἐντεῦθεν δικαιῶ (I, 16. 17. II, 10) τὰ ἔθνη, quorum causam stabiliendo evangelio contra falsos legis aestimatores ago. Scio equidem, immo ipsemet (c. I) modo, quod res est, ex instituto demonstravi, hucusque reliquas gentes, aeque ut ipsorum vestram, injustitiae colluviem fuisse. At de eo statu rerum nunquam mihi vobiscum lis fuit nec futura est. Convenit enim inter nos egregie. Sed quod *evangelio* negatis purgari illas gentes, *in hoc* quidem refragantem me habetis, *ubicunque locorum* mixti ex Judaeis et alienigenis coetus exstant. Verum enim vero quod *legem* vos gentibus colendam jactatis, bene id quidem, iidemque optimi testes cum evangelii, tam μαρτυρίου nostri (I Tim. II, 6. 7): modo unum hoc sincere concedatis, τοὺς ποιητὰς τ. ν. Deo probatum iri.

„*Tum enim quum* ipsi gentiles, qui Legem divinitus promulgatam (νόμον) non habeant natura (per se, ut nascuntur, ut gentes), iidem jam perpetrant, quae lege jubentur: deinceps ii quidem, quamvis Legem illam non habeant, praestantiores hoc ipso videntur: ipsi enim, quales non nati, sed renati sunt, sibimet sunt vice legis: utpote qui, destituti quidem adumbrata ista legis *littera, rem ipsam* veritatemque (ἔργον, opus ipsum, quod jubet lex) *exprimant*, inscriptam quippe, quod solum agitur, (teste Mose et prophetis) suis in cordibus intimis: ita ut conscientia ipsorum *assentiatur* Dei voluntati, adeoque, etsi per legis tabulas non *sint judicandi*, ipsa *per se* consilia mentis et cogitationes singulae accusationi (futurae) sint vel etiam defensioni in die illa, qua Deus abdita quorumque sensa *hominum*, quoquo nomine notantur, judicabit, non secundum legis tabulas uni genti ad tempus propositas, sed secundum *evangelium omnibus gentibus* a me promulgatum, non quo meum sit, sed Jesu ipsius Christi et Domini, *per quem* eam universarum gentium causam ago.“

Perspicua satis videtur haec loci gravissimi explanatio, quae, ut mihi sese diu meditanti unice probavit, ita vel a concinnitate sententiarum vel a graeci sermonis proprietate cuique se, spero, ipsa commendabit. Pauca interim addamus.

Locum ad gentiles idololatras referri solere, vel pueri sciunt. Qui recep-

tam ex tribus fere saeculis opinionem obstinate voluerit retinere, ipse viderit. Ego vero sic habeo, cogente textu linguaque. Sententia, quam seducti *uno* ἐθνῶν verbo, vernacule ad certum semel *religiosum* sensum detorto, vulgo hinc expromunt, per se vera est, sed nullius ad rem momenti. Quendam sensum recti naturaliter inesse gentilibus, (immo ipsis Judaeis multo luculentiorem legis magisterio, v. continuo vv. 14—20), quid ad causam interest? Num eo minus in evangelii gratia praeferendos se ethnicis censebunt? Tum memento, quo ipse nuperrime Paulus ἀληθείας semina in omnium cordibus residua (I, 18—21) retulerit. Quiquid *in universum* de hominum genere, quales primum offenderit lux evangelii, *pro instituto* P. afferre vellet, necesse erat expromi usque ad illud: διὸ ἀναπολόγητος εἶ, ὦ ἄνθρωπε πᾶς. (II, 1.) *Excusationem* autem denuo gentilium eximere animis, quasi pedem supine reflectenti Ap., nihil nisi infringit vim sententiarum. Paulumne tam parum tenacem propositi fuisse, ut hic Judaeum his illisve rebus *praeter evangelium* gestis ad evangelii, non primam, sed meram et integram agnitionem vocare induceret? Quid? hoccine igitur erat, *justitiam sola fide obtinendam* celebrare, quod τοῖς ἔθνεσι, naturae scilicet (h. e. σάρκος) ductu, summam et consummatam omnibus numeris justitiam affingeret, adeo ut ποιηταὶ τοῦ νόμου (quo nihil nec in coelis majus) in iis non deessent et eo judice, qui praecordiorum latebras scrutaturus est, δίκαιοι, adeoque aeterna beatitate pro suo merito digni declarandi sint ac praedicandi? Nunquam pejus artibus suis istis interpretes abuti vidi, hunc uno, illum altero modo haec circumscribentem. Ego vero Apostolo sua integre servanda censeo. Aliter vero v. 14 illud γάρ non potest nisi interpositis totis phrasibus explicari. Alii: „postulatur etiam a gentilibus, ut sint factores legis"; alii: „Judaei autem violant legem scriptam, gentiles etiam violant; nimirum non scriptam illam"; alii: „amplectitur Deus approbatque benefacta, vel tum, si nulla sit lex, quanquam nullis omnino deest lex"; alii nuper: „Possunt sua sponte et nullo gratiae auxilio gentiles coram Deo justi esse, si modo (scilicet!) legem impleant; sic autem faciunt, ergo justi evadunt"; alii: „Ποιητὰς τοῦ νόμου in gentibus esse, sponte compertum habemus, nam etc."; alii aliter. Haec talia memorasse sufficit.

At ἔθνη homines sunt a vera religione alieni. — Igitur Ἕλληνες quoque,

quoniam non sunt natu Judaei, item Romani, item Galli. — Finge quaeso voluisse tamen Paulum id effari, quod mihi videtur, tum cedo mihi unam voculam aliam, qua id diceret. Et qualia nunc ipsum ἔθνη P. intelligat, id quidem tota cum maxime sententia locutura est. Jam ex qualibet clavi non N. modo, sed V. quoque T. copiam cognosces locorum, ubi τὰ ἔθνη dicuntur verum et unum Deum celebrare et per Christum, pacis statorem, cum hoc Judaeorum ἔθνει (mirane vox? at sic Paulus Act. XXIV, 17) regnum coelorum intrare. At nostram epistolam spero tibi suffecturam; inspice sîs **III, 29.** coll. **X, 12. XI, 13:** ὑμῖν τοῖς ἔθνεσι; **IX, 13** nostro simillimum: ὅτι ἔθνη τὰ μὴ διώκοντα δικαιοσύνην κατέλαβε δικαιοσύνην; **XV, 9:** τὰ δὲ ἔθνη δοξάσαι τὸν θεόν, cf. **10. 11. 12. 16. 27. XVI, 26.** (Act. XIII, 47 ἐθνῶν nomen Judaeos includit. Eph. III, 1.)

Ὅταν non potest ab illis interpretibus omnibus, nisi praeter sensum suum hypothetice pro ἐάν accipi, ac si utique temporis nota respicitur, pro: *si quando* dictum putatur. At enim miror, plane absonum sensum non animadverti. „*Siquando* — faciunt, quae sunt legis, tum sibimet sunt legis vice.“ Quasi vero ea interior lex, quam inesse etiam gentilibus recte statuunt, subinde tantum adsit. Accedit insertum illud οὗτοι, quo enunciatum ad hos solos adstringatur. Numquid consciam recti et pravi mentem in malis nullam censetis? At enim vero in iis luculentissime judicis personam agit. — Tum ἑαυτοῖς εἰσι νόμος omnino aliud quid quam solam legis notitiam innuit (vid. e. g. locos auctorum a Wetstenio exscriptos). Hoc textu, quo τῷ ἔχειν extrinsecus νόμον opponitur, omnino animum illum divinitus purgatum dicit, quo nosmet ipsi libero et alacri studio idem jam velimus, quod lex vult. (**VIII, 14. 15.** Gal. IV.) De ipsa re conferre licet, quod ait Petrus, Deum cordium scrutatorem, dato spiritu sancto, *gentium per fidem corda* purgasse (Act. XV, 9.)

Eae vero non possunt φύσει perfungi lege. Quae conjunctio quum plerisque in deliciis sit, tamen a linguae rationibus prorsus abhorret. Φύσει enim homo *esse* et *habere* aliquid potest, non *facere*, cujus dictionis nullum inventum iri exemplum spondeo. Recte vero et usitate φύσει Judaei Gal. II, 15, *nostro* cap. v. 27 ἡ ἐκ φύσεως ἀκροβυστία dr. (cf. XI, 24. Eph. II, 3). — Sensus, quem nos vertendo indicavimus, probus videtur et clausulae cap. respondet. Judaeis

enim in φύσει acquiescentibus (v. 27), gentes non illae quidem natura, sed evangelio, novae κτίσεως semine, νόμον τῆς ἐλευθερίας (Jac. II 12), τ. πνεύματος, τοῦ νοός (VII. fin. VIII in.), δικαιοσύνης, quae ex fide est (IX, 31), nanciscuntur.

Tum v. 15 media forma verbi ἐνδείκνυσθαι, monente Winero, non est negligenda. Est enim „se ipsum praestare, se vindicare atque approbare." Quare accusativus internam animi conditionem affectionemque significat. Et ea quidem ratio est τοῦ ἔργου τ. ν. in animo inscripti. Inest phrasi ipsius proprietatis interioris vitaeque integrae significatio. Quid autem sit τὸ ἔργον τοῦ νόμου, docet totus contextus sententiarum. Opponitur enim literae vel acroamati (v. 13), et ipsam jussorum Dei voluntatisque unius *effectionem* significat. Liban. O. XII: εἰ καὶ μὴ ἐν γράμμασι, ἀλλ' ἔργῳ τοῦτον πεθείκατε τὸν νόμον. Jam quod *legis* non umbram modo, sed veritatem et *rem ipsam* inscriptam ait in ipsis animis, P. certe nonnisi sensu illo *praecipuis* vaticiniis (vid. pag. 17) *) confirmato dicere potuisse videtur, qui utique per Christum ad eventum perductus est. (cf. maxime II Cor. III, 3.) Addo instar omnium Deuter. VI, 6: Καὶ ἔσται τὰ ῥήματα ταῦτα ἐν τῇ καρδίᾳ σου. — In v. συμμαρτυρεῖν quod ajunt praepositionem πλεονάζειν, nimium audaciae est (a Winero in recent. diss. exagitatae). Cuinam tandem rei testimonium veritatis ipse animus dicet, nisi divinae legi? cui isti auditores minime assentiuntur ex animo, immo peccantibus, dum ingenue profiteantur (I, 22). Verbum fere idem loquitur, quod VII, 22: συνήδομαι *legi Dei* ex „interiori homine". **) Ipsa συνειδήσεως vox saepissime in meliorem partem N. T. sumitur, ita ut purgati per Christum animi conscientiam et assensum divino nutui datum significet (v. Wahlii clavem). — Μεταξὺ ἀλλήλων mirum, quam diversas expertum sit explicationes. Lutheri certe versio vernaculam magis linguam quam graecam sapit. Ne hic quidem ulla fluctuantium opinionum se mihi probavit.

---

*) In hac ipsa ep. (XI, 27) videtur ad vaticinium illud Jerem. alludere in vulgus notissimum, quo integro ad nostrum sensum utitur ep. ad Hebr. VIII, 10 s.

**) De lege Ap. sic loqui, auctoribus et prophetis et Jesu (Mt. XXII, 37 ss. XXIII, 23), ut omnia interioribus illis mandatis comprehendat, sponte quisque agnoscet. Idem eum facere vides tota hac epistola (v. III, 31, max. VI et VII.)

Propria autem vis particulae expressa legitur in illo loco Matth. XVIII, 15: ἔλεγξον ἀυτὸν μεταξύ σου καὶ ἀυτοῦ μόνου, quae nostro loco egregie convenit. Ut brevi absolvam, Judaei quidem etiam Christiani judicabuntur *interposita* quasi lege (cui se ipsimet obstrinxere) v. **12**, gentiles vero (scl. fide δικαιωμένοι v. **13**, cf. III, **30**) ita, ut vel nulla *extrinsecus* adhibita et interposita norma (litterae legalis) ex sua ipsorum conscientia et interno τῶν διαφερόντων sensu (XII, 2), non naturali, sed cum nova vita innato, arguantur. — At quod οἱ λογισμοὶ accusatoris vel patroni partes agere dicuntur, de eo quoque non possum, quin a pristina interpretatione discedam. Ii enim fere de sensibus et judiciis ipsius conscientiae interioribus, sive assensu et voluptate, sive dissensu et cruciatu, accipiuntur. Primo contra usum vocis Paulinum. Λογισμοὶ enim *consilia* dicuntur (ut latine vertit ipse Cicero; vernacule quidem: Absicht, Gesinnung). cf. II Cor. X, 5. Illa ipsa tum accusationi tum vero excusationi et sunt et futura sunt, idque non aeque in quovis homine, atque in eo, qui intus edoctus Dei voluntatem eique agitante Spiritu Christi vere assensus fuerit. Rem quidem ipsam tum cap. VII explicatam legis, tum illo Pauli effato, quod aperte de renatis hominibus intellexit: „*Caro* concupiscit adversus spiritum, *spiritus* autem adversus carnem.“ Gal. V, **17**. Tales ἐπιθυμίαι h. l. intelligi videntur. — Secundo enim textus eum sensum efflagitat. Hic quaeso paulisper insistamus.

Jam enim incidimus in portentum illud exegeseos, quo versum **15** a **16** distraxere. Imperatus enim *more* sensus ille non sinebat eos inter se jungi: ergo conclamatum est, atque maxime concinna P. sententia immanis parentheseos laqueis distorta, qualem *nec Paulus unquam* *) nec quisquam sanus auctor scripsit. Scilicet v. **16** cum v. **12** (alii, at difficilius etiam cum v. **13**) conglutinavere. Nil opus est tam desperato remedio, quod quovis malo pejus est. Omnia bono fluunt ordine. Quare parenthesin complures delerunt. At ii aut participia, quo ad v. **16**, *futurum* judicium, trahantur, *pro* futuris posita fingunt,

---

*) Recentissimorum quidam exempla nescit, nisi haec: I Cor. VIII, 1—3. XV, 9. II Thess. I, 10. — Moris fere inveterati est, cap. V. ep. Rom. vv. 12—18 testimonio uti. Mox tamen spero neminem dubitaturum, quin ipso v. 12 periodus conclusa sit. Διὰ τοῦτο illud respicit ad *prima cap.*, quo aptius a part. καὶ οὕτως alterum membrum ordiaris.

aut inserunt sententiam: (cogitationes illae) „etiam valiturae" die Domini. Ingenue fateor, quiddam offensionis etiam residere. Sic igitur equidem interpretor: „ipsae affectiones mentis consiliaque per se sola (scl. *propter* συνείδησιν) nunc ipsum talia sunt, quae aut accusationis causam aut defensionis praebeant in illa die. (cf. Hebr. IV, 12. 13. Mt. XII, 37.) — Sane quidem quasi proximam, immo instantem jure P. eam diem sibi informat, vel eo quod illa hora praeterita omnia uno conspectu quasi praesentia sistet. Hinc est, quod subinde ἐν τῇ ἡμέρᾳ posuit, ubi εἰς τ. ἡμ. exspectares. II, 5. I Cor. I, 8. II C. I, 14. I Joa. IV, 17. I Petr. I, 6. — Quod vero *abdita* mentium (opposita speciosae et κατὰ φύσιν sanctimoniae Judaeorum) judicaturus est Deus, hoc quidem optime confirmat interpretationem nostram τῶν λογισμῶν. (cf. I Cor. IV, 5.)

Denique quod κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου ipsi verbo judicandi jungo, sane simplicissima ratio est. Habet quidem illa verborum accessio in vulgari interpretatione multum molestiae; nam in causa tam late patenti quorsum faciat evangelium? Nostrae autem opinioni optimo praesidio est, praesertim si expendas illud μου evangelio additum. Significat enim hîc quoque, perinde ut permultis locis, *praedicationem ipsam Pauli cum maxime ad omnes gentes pertinentem.* Nimirum sic demum poterunt ad Christi tribunal sisti, accepto evangelio, judicii norma. — Postremo addit, quod omnino Paulum, servum Dei, addere oportuit: quod evangelium promulgans normam judicandi hominum proponat, non a se esse, sed id quidem fieri per Jesum Christum. — Cur tandem Paulus, quod frustra facere eum volunt, in simplicissima omnium doctrina provocet ad evangelium, idque (quo certe non poterat teste uti) *suum,* quod ne audierant quidem illi homines. Nec unquam id fecit. Locorum I Tim. I, 11. et II Tim. II, 7 (ubi κατὰ non jungendum cum ἐγηγερμένον, sed verbo μνημόνευε) alia ratio est. Neque διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ cum κρινεῖ connectere licet, prohibente linguae ratione. Scio eos provocare ad Act. XVII, 31, quem tamen locum video male intelligi.*)

*) Jungunt κρίνειν cum illo: ἐν ἀνδρί. Utique si sic pronuntiasset P., nemo Atticus eum intellexisset. Omnino ἐν ἀνδρὶ cum πίστιν παράσχων jungas oportet (fidem sui, ceu viventis Dei, de quo solum agitur, in viro, quem ad id constituit, in vitam revocando omnibus hominibus faciens).

Jam ubi gentilem ἄνομον ostendit νόμου ποιητήν, ex adverso Judaeum τὸν ἐν νόμῳ eundem ut νόμου παραβάτην traducit. Non quo talia delicta in Judaeis etiam evangelio initiatis deprehendi possint; sed ὄνομα (v. 17) Judaei s. „confessoris" per se nec Deo honori esse, nec homini laudem adsciscere demonstrat. „Immo Dei nomen per ipsos Judaeos non illustrari inter gentes, sed quo nihil crimen pejus erat, blasphemari", — Itidem quum modo gentes in hac conversione rerum humanarum in Judaeorum vicem suffici indicaverit: jam Judaeos legis violatores nil nisi ἀκροβυστίαν esse annuntians, *symbolo* περιτομῆς rem illustrat. Illas autem easdem gentes, de quibus modo locutus erat, jam iis coloribus depingit, quibus omnino exploratum sit, Paulo gentes ad Christum vocatas solummodo obversari. Praeputiati, qui quidem stirpe perhibeantur, τὸν νόμον τελοῦσι (grande nomen! inquit Bengelius) et Judaeos simulatos aliquando judicaturi sunt. Toti autem comparationi huic finem facit his verbis, quae omnem dubitationem eximant (v. 28. 29):

„Non enim, qui est in propatulo Judaeus, Judaeus est; nec ea, quae est in propatulo circumcisio, id est, in carne, circumcisio est: sed qui in occulto Judaeus est et circumcisio cordis, id est in *spiritu*, non *litera*: cujus (Judaei veri et germani) laus non est ex hominibus, sed ex Deo".

Haec quisquis ingenue expendit, ei ne in mentem quidem venire potest, talia tantaque ab Apostolo gentibus a veritate evangelii alienis tribui. Equidem nihil addo, nisi primum eos locos, qui circumcisionem cordis *veri et perpetui illius Israelis*, amore in Deum vivo perfusi, documentum praedicant: Deut. XXX, 6. Col. II, 11. Phil. III, 2. 3. (cf. Eph. II, 11—22. Gal. V, 6. VI, 15); tum tales aliquos, qui τὸ πνεῦμα, *literae et carni oppositum*, propriam *novae per Christum vitae* animam esse, expressis verbis doceant: cap. VIII. II Cor. III. V, 5. Gal. IV, 6. Eph. IV, 30. (I Petr. III, 4. 5.)

Rom. III, 28—31.

16456
Michelsen
Romans 1 & 2.

BS
3669
.9
.M i1

Michelsen
Romans 1 & 2.

16456

Jam ubi gentilem ἄνομον ostendit νόμου ποιητὴν, ex adverso Judaeum τὸν ἐν νόμῳ eundem ut νόμου παραβάτην traducit. Non quo talia delicta in Judaeis etiam evangelio initiatis deprehendi possint; sed ὄνομα (v. 17) Judaei s. „*confessoris*" per se nec Deo honori esse, nec homini laudem adsciscere demonstrat. „Immo Dei nomen per ipsos Judaeos non illustrari inter gentes, sed quo nihil crimen pejus erat, blasphemari". — Itidem quum modo gentes in hac conversione rerum humanarum in Judaeorum vicem suffici indicaverit: jam Judaeos legis violatores nil nisi ἀκροβυστίαν esse annuntians, *symbolo* περιτομῆς rem illustrat. Illas autem easdem gentes, de quibus modo locutus erat, jam iis coloribus depingit, quibus omnino exploratum sit, Paulo gentes ad Christum vocatas solummodo obversari. Praeputiati, qui quidem stirpe perhibeantur, τὸν νόμον τελοῦσι (grande nomen! inquit Bengelius) et Judaeos simulatos aliquando judicaturi sunt. Toti autem comparationi huic finem facit his verbis, quae omnem dubitationem eximant (v. 28. 29):

„Non enim, qui est in propatulo Judaeus, Judaeus est; nec ea, quae est in propatulo circumcisio, id est, in carne, circumcisio est: sed qui in occulto Judaeus est et circumcisio cordis, id est in *spiritu*, non *litera*: cujus (Judaei veri et germani) laus non est ex hominibus, sed ex Deo".

Haec quisquis ingenue expendit, ei ne in mentem quidem venire potest, talia tantaque ab Apostolo gentibus a veritate evangelii alienis tribui. Equidem nihil addo, nisi primum eos locos, qui circumcisionem cordis *veri et perpetui illius Israelis*, amore in Deum vivo perfusi, documentum praedicant: Deut. XXX, 6. Col. II, 11. Phil. III, 2. 3. (cf. Eph. II, 11—22. Gal. V, 6. VI, 15); tum tales aliquos, qui τὸ πνεῦμα, *literae et carni oppositum*, propriam *novae per Christum vitae* animam esse, expressis verbis doceant: cap. VIII. II Cor. III. V, 5. Gal. IV, 6. Eph. IV, 30. (I Petr. III, 4. 5.)

Rom. III, 28—31.

BS 3669 .9 .M51	16456 Michelsen Romans 1 & 2.

BS Michelsen
3669 Romans 1 & 2.
.9
.M51 16456